

PECIMEN INAUGURALE
PHYSIOLOGIÆ
EXPERIMENTALIS.

Quod

**ANNUENTE SUPREMO NUMINE,
 DUCE PHILOSOPHORUM PRINCIPÆ
 ARISTOTELÆ,**

Ex

**SUBTILISSIME FACULTATIS PHILOSOPHICÆ DECRETO
 IN**

Celeberrima & Antiquissima Germania
UNIVERSITATE HEIDELBERGENSI,
 FILIA ACADEMIÆ PARISIENSIS.

P R A E S I D E

P. VALENTINO HOEGLEIN

è Societate J̄esu, Philosophiæ Professore Publico
 & Ordinario, & p. t.

RECTORE MAGNIFICO,

Supremæ in Philosophia Laureæ Candidatus

ORNATIVS AC ERUDITIVS DOMINVS

D. THEODORUS WEILER Sittardicensis,

AA. LL. & Philosophiæ Baccalaureus,

Propugnabit

IN AULA ACADEMICA

NOVI WILHELMIANI.

Mense Septembri die Anno M DCC. XV.

HEIDELBERGÆ. Typis IOANNIS MAIERI Typographi Aulae.

C A P I T A
Senatus Consulti Parisiensis

Contra oppugnatores

A R I S T O T E L I S

Anno M. DC. XXIV. XVIII. Augusti.

1. INspecto supplice libello, quem Facultas Theologiae contra Joannem Bitaudum, Antonium Villonium, & Stephanum Clavium senatui obtulit, senatus vētuit, ne proposita ab iis hominibus Theses in publicum disputandae prodirent 2. Senatus idem statuit, ut illae Theses in manus Facultatis traderentur, Theologiaeque Magistris communicarentur. 3. Considerata Thesum censura, cui Facultas vacaverat, auditio generali Cognitore Regio, & visis, quae ad hanc litem pertinent, instrumentis omnibus, præmonito Stephano Clavio senatus edixit, ut idem Stephanus, Villonius, & Joannes Bitaudus infra XXIV. horas Lutetia exirent, nec in ulla ditioni suæ obnoxias urbes sese reciperent, aut inibi Philosophiam docerent. 4. Senatus prohibuit, ne quis sub poena corporis eas Theses in medium produceret, venderet aut distribueret, sive in hoc regno sive alibi typis mandatas. 5. Senatus decrevit, ne quis contra veteres & probatos Autores ulla dogmata teneret, aut traderet sub poena capitinis, aut ulla institueret disputationes, præter eas, quae à Theologis Doctoribus approbarentur.

PROE-



PROEMIUM ORTHOSEOPHI.

Cum nuper torrente Canicula, Celi apicantis temperies gratissima ad frondes sylvarum proscenia suavi silicio invitaret; genio indulgendum ratus, progrederi facilis non amue, qui luxuriantibus utring, virtibus sensim in colliculum aseenderat, ubi neira viroris elegancia, umbra ex arboribus desua, aquarum perstropentium gratia tantisper confedere jussit. Aderant quasi ex condito, aligera sirenes, qua delicasie vocis lenocinio arbore acclinatum ita incantabant, ut in somnum oculo penitus defuerent. & phantasias gravioribus insomnis cooperit consillari. Videre enim mihi visus sum par nobile Fratrum, quos Lanri bacca in capite, volumen in dextera, aureus in collo torques, Philosophos esse non obscure indicabat. His acriter litigantes comiter excepti; & amabo, inquietbam, quid animis incalescitis, dum solis ardor urit angros, & immodico estu omnem membris vigorens exhaustus; quid non sub pacula mecum requiescitis umbra? Illis alloquo meo exterriti, continebere; & quis tam intempestivè dispartantes interpellare præsumpsorit, securi volentes, proprius accesserunt. Hie ego Sylvestri strato (ni mihi quidem videbatur per somnum) me erigebam, atq; solito audacior, adrenas palatina humanitate salutatos; quòd quā tenderem! quid litis haberent? scisistabar. Hi verò reciproca questione, quod mihi nomen interrogabant. Orto sophus, inquietbam, dicer Atticis; & quod amplius est, non desiderius, non studius, sed solo cultu & habitu ab invicem discrepamus. Agedum ergo, reponebant, & nostris votis hoc unum concedè, ut quòd nos libertas hodie detulerit, eò te Comitem attulim habere mereamur. Polluceor ego, & constanti deinceps pede corum vestigiis adherere mihi visus sum. Neque multos passus exegeramus, cum eorum alter, qui se Lucianum dixerat, panegyrim, quam Scientiarum dignitas suggerebat, subito vertit in Catilinariam Perspati, totiusq; morosa Antiquitatis, cui me devotum acceperat. Oestro enim percitus, iis Uridis verbis, qua Pater ejus in odium Poësis crebro inculcabat, me affari cœpit: Studium quid inutile tentas? Oraculum esse Ciceronis Rovana Sapientia Principis, . de Orat. Philosophos implicare omnia expli-

explicare nulli; cum enim de Philosophorum libris loqueretur, illa castanear-
vit: Verbum prorsus nullum intelligo, ita sunt angustis & concisis di-
putationibus illigati. Turpe olim erat Catullo, difficiles habere rugas, &
stultus labor ineptias sectari. His vero labor, hec cura est. Peripati, dum
ad lampadem sedent, libris incubant, ut ridiculas tandem pariani ideas. His
fatis mo levi brachio amplectitur, atq; in sua verba jurare volbat. Subri-
si, & ne animo praeoccupato cederem, hoc a coma domine reposui: intus
peccatur & extra. Et plura quidem dictaverat mihi Philosophia Peripatetica
sensus & affectus, nisi inquietior alterius indoles meditata dictionis periodum
disturbasset; Enimvero. interserit ille, Philosophi certane de Lana sope ca-
prina, qua milia sunt, que jucunda, atq; uinam non etiam necessaria in po-
stremis habent: Philosophia vilescit, qua a prima Jurisprudentie regula rece-
dit, quam Justinianus Imper. in proem. Inst. §. 3. sancrit: ut aures & ami-
mi studiosorum nihil inutile, nihil perpetram possum, sed quod in ipso
terum argumentis obtinet, accipient. Et quid stagrica Peripatus? nil
eis spinas progerminat, noctis obscura parente protrudit, cerebrum obundat,
oblectamenta tollit, experientias omnes prescribit. Hac Cynicus ille Sophoma-
stix solita calunianis & sycophantandi teneritate, dum insolentius effutret,
ira impatiens, Aristotelis bene intellecti vindicias suscepit, & Novatorum in-
consulam quidlibet fingendi licensiam perstrinxit tanta contentione virium &
anima & Phantasia, ut insomnia cum quiete abrumperet. Abstergo itaq; à
sonno oculos, & quod in anigmatica caligine per somnia objectum mirabar,
memini esse illa ipsa malevolorum obreclantium dicteria, qua passim volitare
& Peripatum miserè proscindens. Horum igitur phanaticorum hominum,
quibus nihil tam illustre, nihil respub. Christiana & literaria tam salutare,
quod sufflaminans sophomoria allatrare, & si per vires liceret eliminare non
præsumerent. Horum inquam, calumnias, ne Aristotelis deinceps amplius Ostra-
cismum intentare, aut Philosophiam ab eo experimentaliter desiderare ausus,
succincto hoc specimine confutare statui, ut ex ungue Leonem, ex modicis pa-
gellis, Orthosophicam in peripato studendi rationem legant, & dente theonino
rodere desinant. Tu vero quisquis Amicus es veritatis & Orthosophia,
hec boni consule; semper enim Poëta teste omne tulit punctum
qui miscuit utile dulci.





EX
ASTRONOMIA.
Experimentum I.
DE
Planeta Chronocratore.



Atmosphoram hanc mundanam, in qua vivimus, movemur, & sumus, jugi Planetarum influxu moveri & alterari, somnia nemo dixerit ex Lunæ concavo derivata. Experientia enim, mille testes, satis superque ostendit, mutationes in hæc sublunaria ab Astris determinaritam copiosas, quam varias anni unius tempestates curiosa observat Philosophia. Quare non immeritò Astrologia severior non unius tantum Provinciæ, Climatii, aut Regioni, sed utrique Atmosphæræ circumpolari suum quot annis statuit Planetam Chronocratorem, qui insigniores temporum vicissitudines virtute sua, qua reliquis supereminet, inviolabili lege dispenset. Ita certè Reverendiss. & Ampliss. D. Mauritius Knauer, Abbas Monasterii Langheimensis, in Calendario suo, ut vocat, economico, annis singulis sæculi nostri decimi septimi suos ita partitur Planetas, ut serie non interrupta Saturnus expletio consulatu fasces deferat Jovi, Jupiter Marti, Mars Soli, Sol Veneri, Venus Mercurio, Mercurius Lunæ, hæc denique restituat Saturno &c. Atque adeo supposito hoc calculo Astronomico Anni currentis 1715. moderatur habens MARS Igneus. Ego vero pacce tanti Visi, cuius diphteram Astrologicam non inspexi, ephemerides

merides diu multumque elucubratis sequi malo, quam Authoritatem. Illas vero dum consulo, systema toto, ut ajunt caelo diversum invenio: Experimentum cape; Zonæ boreali temperatæ, cui Europa subest universa, sex præcipua respondent Zodiaci signa. V. 8. II. 9. m. Et tria quidem priora, quia per illa ex ortu suo Planetæ asturgunt ad meridiem, Ascendentia; posteriora vero, per quæ descendunt in occasum, Descendentia dicunt. Et quis adeo peregrinus est vel in primis Astronomiæ Elementis, ut nesciat Planetas supra Horizontem in signis ascendentibus constitutos, locis sibi subjectis tanto magis esse verticales, virtutemque suam energicam ostentare potius, quanto magis agunt radiis directis? Nosse itaque si velis Planetam anni Chronocratorem, qui mundi hujus sublunaris arbitrium obtineat, ephemerides mecum consule, & quem in signis ascendentibus potiorem inveneris, in illo Jus Imperii certus agnosce. Sed quis demum Planeta, anno hoc vertente, in signis ascendentibus potior est? quis erit anno subsequente? nisi ephemerides fallunt, Jupiter utrobique potior est. In Januatio anni praesentis supereminet omnes in Ariete constitutus: eandem stationem tener in Februario: retinet in Martio: in Aprili Taurum condescendit, suumque imperium per dies aliquot dividit cum Sole, cui majales insuper cedit habenas; exinde vero per reliquos menses septem continuos, si paucos excipiāt dies Lunares, & alios itidem dies 26, Veneri consecratos in Julio, Jupiter solus supremo gaudet Iure Dominii; quod ipsum de communi reliquorum consensu in alterum etiam annum & quidem majoricum prærogativa Illustrissimo Planetæ protogatur. Ex Tauro enim, quem in Aprilem usque tenet, cum Venere & Marte in Geminos extollitur; & Veneri quidem fasces relinquit non amplius 25. Marti vero diebus 36. Nimirum à 12ma Maii in 17mum Junii, quibus expletis imperio non interrupto, (Lunam semper excipio, cuius imperium, quia brevissimum, in estimationem non venit) dominatur in medium usque Septembrem. Deinceps vero vacat imperium, donec 15. Novembbris Jupiter ad geminos redeat, ut cum iisdem annum

... (3) ...

num luum & regimen feliciter coronet. Facto igitur computo
Mars anno currente non nisi diebus 36. aut 7. est in altissimis: Ju-
piter verò plusquam tertiam anni & currentis & insequentis partem
ibi habet vectigalem.

CRISIS THEORICA.

D E

Astrorum virtute energica.

Axioma est magni Aristotelis: *Quidquid movetur ab alio immobiili movetur:* Cujus lensus tot ferme peperit sententias, quot capita sunt Philosophorum. Certè Avicennas, inter Saracenos Peripateticus facile princeps, in eam venit sententiam, dicam, amentiam, ut delitaret, mundum hunc sublunarem opus esse Intelligentiæ cuiusdam creatæ, quam specioso nomine COLHO-DÆ insignivit, quæ effectus insuper mirabiles, quos opera Naturæ dicimus, virtute sua energica, in globo nostro terraquo producat. Alia omnino mens mens erat Philosophi cuius fidelem interpretem Fernelium l. i. de abd. rerum causis audiamus: *Juvat*, inquit, sententiam Aristotelis epilogo concludere: *una cali vis & facultas traducarum rerum vires præ se fert; has autem vector mundi spiritus, è calo in rotum universum diffusus rebus omnibus impertit.* Hæc ille: Ecce tibi non Deam aliquam fictitiam, sed vim virtutemque universalē, à qua moveatur, quidquid movetur. Vis autem illa cælestis est, quinta essentia Astrorum est, quæ corpora hæc sublunaria, quibus virtutes activas & passivas tribuimus, ad varias generationes non modò disponat, sed etiam fecundet; ut ex ipsa velut occulto semine effectus quicunque incrementa debitæ magnitudinis, distinctionesque formarum desumant. Si enim D. Augustino credimus l. 5. de Civ. Dei c. 9, *Corporales causa non sunt numeranda inter causas efficientes, quia magis sunt, quam faciunt.* Bene igitur sentit cum

Aristotele , optimè cum Augustino , qui , repudiata Avicennæ Colchodea , effluviis cælestibus in operationes merè corporeas suam tribuit vim & efficaciam. Neque id insolens videri debet , aut novum iis , qui supra vulgus Philosophorum sapere volunt ; habent enim & suam corpora cælestia Atmosphoram , in quam suas non modo qualitates , sed etiam substancialias tenuissimas longè lateque diffundunt ; nisi malis contra omnem sanam Philosopham , astris negare , quod terrestri fructici concedis ; Ita enim nautarum , qui in insulam Zeilanum navigant , testimonio comprobatum accepimus , ad 100. Millaria Italica odoris ex cinnamo- mo fragrantiam propagari. Et quid nî suam etiam Planetæ quin- tam escentiam , suas Alstra influentias , ad nos usque derivent ? Jo- vem , quem anni hujus & insequentis Chronocratorem demonstra- vimus , jam sera olim antiquitas , Fortunam dixit majorem , Ve- nerem autem minorem : quid ita verò ? nimisrum , quia Jupiter tempe- ratè calidus ac humidus & ideo maximè secundus , dum suas absol- vit periodos , plagas sibi subiectas , quales esse volunt cum primis His- spaniam , Arabiam felicem , Ungariam , Pamphiliam , Lydiam , tum eas denique orbis partes , quibus cum Dominio præst , beneficen- tia lœtificat singulati . Ratum igitur sit , quod eruditissimus Nea- politanus Joannes Baptista à Porta definivit . I. i. Mag. Nat. c. 15. In- ferna hæc supernis illis ancillari , & ab aetherea illa natura vim quan- dam illabi , ut que mutationi obnoxia sunt , rata lege & continua serie corrumpantur , atque gignantur .

Experimentum II.

D E Maculis solaribus.

Vulgī vitium est , jam à sera sapientum memoria deploratum , nihil vel populari duntaxat trutina ponderare , discutere , in- dagare , quod novitatem non sapit , aut insolentiam . Enim verò , in- quid Senecca l. 7. q. nat. Astrorum catus , quibus immensi corporis pulchritudines

pulchritudo distinguitur, populum non convocat; Sol spectatorem non habet, nisi cum deficit, nemo observat Lunam, nisi laborantem. Nimirum à natura ita comparati sumus, ut assiduitate quotidiana, & consuetudine oculorum assuecat animus interior. Et vel ideo elegantissimus Cicero l. 2. de nat. Deorum, inquit, Homines neque admirantur, neque requirunt rationes earum rerum, quas semper vident, perinde, quasi novitas non magis, quam magnitudo rerum debeat ad exquirendas causas excitare. Philosophus, cui à sapientia nomen est, quique supra conditionem vulgarem sapere & vult, & debet, cum Anaxagora sentit; qui cuidam sciscitant, cur ita libenter ferret subdivalia pervigilia, respondit: Ut cali aspectu fruar; cali enim & Solis videndi causa natus sum. Et rectè quidem; objectum enim illud tale est, quod non modo curiosè pascat intellectum, sed etiam piè inflammet affectum in laudem & auctorem supremi tam vastæ & mirandæ Machinæ Architecti. In ea verò spectatissima sunt duo illa Luminaria magna, Sol & Luna, in quorum phænomenis rite explicandis summa desudarunt ingenia. Maculas, præsertim solares, (ut reliqua prætermittam, quæ intra hujus chartæ angustias arctari nequeunt) ignoravit antiquitas, experientia duce dedit, multisque commentariis illustravit posteritas. In quo laudem sibi præcipuam, & prærogativam vendicat. P. Christophorus Scheinerus S.J. qui anno 1611, Ingolstadii mense Majo, dum Solis apparentem diametrum ope Telescopii accuratiùs inspicceret, præter omnem exspectationem partes alias Solis lucidissimas, informes alias & obscuriores deprehendit. Cùm verò suis non satis fideret oculis, licet armatis, literas dedit ad Marcum Vellerum, Celeberrimi nominis Virum; sed te^{cto} nomine, ita enim subscriptis: Apelles post tabulam judicia aliorum clanculum auscultans. Cujus rei tama per universam Germaniam brevi ita divulgata est, ut post sipparium diutius latere non potuerit, sed in publicam scenam prodire sub personato seemante Rosæ Ursinæ (ita suum inscripsit librum de maculis solaribus) necesse videretur: Neque felicior fuit in inveniendis, quam ad oculum demonstrandis novis phænomenis: siqui-

dem in camera mediocriter obscura foramini proportionato applicabat Telescopium , quod in opposita charta mundissima Solis faciem mirificè adumbravit. Atque ita observationes plusquam bis mille de macularum situ , loco , figura , magnitudine , ortu , interitu , revolutionibus ac periodis posteritati transmisit. Sicui idipsum placet experiri , suaserim in Telescopio vitrum objectivum adhibeat coloratum ; ita enim lux nimia Solis attemperatur , & modificatur , ut maculae videri possint oculis in offensis. Sunt etiam , qui Solem prope Horizontem contemplantur : alii per speculum quod reflectit imaginem Solis in chartam distantem pedes 20. maculas solares sibi representant.

CRISIS THEORICA.

D E

Natura ejusmodi macularum.

QUæ sit natura macularum , tanta est dissensio opinionum , ut hic verè dici possit cum Seneca : *Facilius inter horologia , quam inter Philosophos convenit.* Claremontius , uti omnes Planetas & Stellas novas , ita & maculas Solares infra Lunam deturbare conatur ; in quo certè veritati aperte refragatur. Testes enim , si velit , producam omni exceptione majores . quod eodem tempore in locis diversissimis , atque toto orbem distantibus , in ipsa etiam India occidentali maculae observatae sint , in eadem omnino disci Solaris parte. Paralaxin igitur sensibilem nullam habent , atque transcendunt non modo Lunam , sed etiam Venerem & Martem perigæos. Et verò si tanta , tamq[ue] notabilis sit distantia , Solem inter & maculas , quid prohibet eas aliquando extra discum Solis apparere ? certè si leges opticæ non fallunt , id omnino fieri deberet. Cartesius conformiter ad sua principia physica , maculas componit ex striatis materiæ subtilis particulis , quæ primùm in moleculas , tandem in grandiores moles coeant , & crustam adeo crassam Soli obducant ,

ut

ut nulla sit actio materiae subtilis in globulosam exterius circumfusam. Verum hæc ingeniosius, quam verisimilius dicta cum suo ruunt fundamento. Novissime vero in Academia Parisiensi M. de la Hire suas de maculis conjecturas ita declaravit, ut diceret, illas sibi videri, corpus aliquod solidum inæqualiter figuratum, quod magnitudine sua globum terraicum multis parasangis excederet, atque in mari igneo (Solem intelligit) fluctuet instar monstri marini, modò in superficie, modò in profunda abyso. Scio equidem torrentem RR. huic opinioni lele opponere: Hi enim uno ore omnes tueruntur: maculas esse nubes quasdam & fuligines, cuius analogiam ostendunt in quotidiana experientia; quoties enim ignem succendimus, primò ater fumus tegit & obumbrat modicum ignem, cui, ut primum avolavit, succedit ignis tantopurior, quanto fuerit à fumo defœcatior. Motum vero macularum ita fieri sustinent, quod, quia in eadem cum sole sphæra existunt, ejusdemque corpori adhærescant, suam paritet cum Sole Vertiginem conficiant. Nos utriusque partis momenta, ut probabilia suspicimus; definitivam Astrorum Intelligentis relinquimus. Sive enim corpora sint solida, qualia fluij innatare cernimus post inundationem, quæ propter celerrimam solis turbinationem vel in unam coeant molera, vel in plures dispergantur, sive ex variis halituum corporculis conflari dixero, sua tamen phœnomenis constat veritas. Certissima enim utrisque ratione competitum est, Solis iubat umbra hac seu densa, seu rara sit, multum obtusari: etenim in observatorio Regio Parisis anno 1684. notata fuit macula secundum computum Astronomicum tantæ amplitudinis, ut major eslet disco terreno. Et minor certè non fuerit macula anni 3925, qui Julio Cæsari fatalis fuit; hanc enim non naturæ, sed miraculo tribuebat superstitiosa gentilitas cum Virgilio his versibus:

*Ille etiam extincto miseratus Cæsare mortem
Cui caput obscura nitidum ferrugine texit.*

Quid, quod etiam imperante Justiniano Sol anno anno integro veluti post spatiuum latuerit; anno vero 790. referente Paulo Diacono

... (9) ...

cono per dies 17. tam malignè , cælo licet maximè sereno , luxerit , ut non tam lucem , quam tenebras terris offunderet. Unde Astronomo prouum est conjicere , quantaesse possit macularum amplitudo.

Experimentum III.


DE *Notitia Stellarum.*

NON frustra dedit natura os homini sublime , & erectos jussit ad sidera tollere vultus. Cætera animantia , quia ratio deſtituit , prona ſemper terram aspiciunt , & illud Philosophi optimo jure ſibi vendicant : *quaे ſupra nos , nihil ad nos.* Quos igitur non modo exterior corporis ac membrorum frigura , ſed etiam ipſa ratio innata à brutis illis animantibus diſterminat , & mentem & oculos ad nobilissimam ac editiſſimam mundi partem , in qua tot miracula ſunt , quot ſtelle , decet elevare. Cùm enim homini congenitum ſit , nihil aggredi , quod non delectet , habet in vastiſſimo illo Stellarum ſeminario , quod animum demulceat. Certè Ptolomæus , quoties ſidera contemplabatur , jactitabat ſe cum Iove ambrosia vefci & neſtare ; tanta oblatione animus ejus perfundebatur. Julius Caſar Sago & Toga Clarissimus Imperator , ita de ſeipſe canit apud Lucanum l. 10.

- - - *Media inter pralia ſemper
Stellarum , celique plagiis , ſuperisque vacavi.*

Sed & hâc noſtra ætate ſuos habent ſidera Julios ſpectatores , qui concubia nocte suas in Stellis querunt delicias. Ut igitur ſtudium hoc cæterà jucundiſſimum ſua quoque facilitate non caret ; modum , Stellas noctu designandi , à propria experientia facilem exhibeo : Primas omnium in hac arte tenet Ursa major cuius ſeptem ſunt ſtelle inſigniores , ex quibus quinque notantur his characte-ribus :

ribus: A. B. C. D. E. eo ordine, quem infra subjiciemus. Quoties igitur stellatam aliquam imaginem, ut e. g. Ursam minorem, Leonem, Hydram designare volueris, lineam duc imaginariam ex uno charactere ficto in alium, prout versus dabunt: & si aliunde noveris, quot & quantæ magnitudinis stellæ in constellationibus singulis utriusque poli Borealis & Australis reperiantur, nimirum, quod in Leone sint stellæ 5. duæ primæ magnitudinis in pectore & cauda, quæ cor & cauda Leonis appellantur, una in cervice, una in extremitate dorsi, una in lumbis, tertia magnitudinis, facilis negotio easdem tibi & aliis demonstrabis. Sit itaque figura Ursi majoris talis cum versibus.



A. D. Dat producta polum, cum poplite Cepheu:

A. B. Erichtoniam monstrat adire capram.

*D. B. Cum Polluce suum dat Castora, Pollux
Cum pede Castoreo tergus Orionium.*

*Hujus Zona refert Hyades, ac Plejadas inde;
Syrion inde tibi significare potest.*

*Linea Orionis geminos complexa lacertos
Ad fauces Ceti sidera terna notat.*

*D. Per A. demonstrat tibi corda Leonis & Hydrae:
Dat Leo per caudam corq; videre Canem.*

*Si relegas iter, occurrit relegendo Bootes,
Et coma per medianam dat tibi passa viam.*

B

Perseus

*Perseus ex DC sequitur; post Persea splendet
Andromede, post hanc Pegasus axe volat.
Cor Cygni, vulturque cadens post Pegason. A. E.
Herculis est Index; huic Ophiugus adest.
E. pe A. dat Cancrum, dat Cassiopeia signa
Per binos gemini ducta capella pedes.*

CRISIS THEORICA.

DE

Natura Stellarum.

STellarum essentiam, proprietates, & affectiones morosa inquirit Theoria, non tamen omnis pari felicitate. Sæpe enim quidlibet audendi & fingendi potestas stat pro ratione. Somnabant olim Philosophastri, vastissimum illud theatrum, quod Firmamentum dicimus, stupendum esse Theriotrophium, in quo totidem essent animalia, quot discurrunt sidera: Alii ex Diogenis dolio, velut antro quodam Dodonæo eructabant terram esse lucidissimam: cum Democrito alii ferrum esse ignitum jactabant: alii denique cum Anaximandro Globos esse aëreos, ignem spirantes; eum Zenophonte nubes esse ignitas, ardentesque carbones; cum Philolao Pythagorico vitra carentia, cum Euripide glebam auream, statuebant. Non ausim equidem dicere, fuisse hæc otiosorum negotia, tam minutum definire, quod à sensibus nostris valde limitatis remotissimum est; malo tamen cum iis, qui non sapientes, sed Philosophi haberi cupiunt, sentire & Stellas dicere, corpora quædam ignea, quæ nativa & vividissima luce noctis tenebras gratiose dispescunt. Neque mirum cuiquam videri debet, Planetis negari, quod Stellis tam liberaliter tribuitur: Evidens enim ratio persuader, Saturnum, quem natura supra reliquos Planetas evexit, à Sole Lumen, quantumvis debile mutuari. Quid enim prohibetur

...) 11 (...

ret, quin Saturnus ad invidiam Stellarum fixarum, quos ad ultimos Firmamenti cardines damnatos conspicimus, suis quoque radiis vivacius oculos nostros perstringeret, cum propior hujus immineat orbis, quam Stellarum fixarum: manifestum igitur est, fixas immensis intervallis Planetis altiores, propria & cognata luce splendescere. Neque enim tanta distantia à terra (verbis utor Bayle) vegetum adeo splendorem funderent, si per solam Lucis reflexionem fulgerent: Nisi singas cum Gallo illo trium literatum homine J. D. B, qui Chymicorum alias principiis imbutus Anno 1644. librum vulgarit eum titulo: *Abbregè de l' Astronomie inferieure*, cuius hæc est hyperbole plusquam superementiens, Solem non modò supra Planetas omnes, sed etiam ultra immensos traëctus Stellarum fixarum esse collocatum. Quis ista non rideat? *Nimirum, nulla sententia, quantumvis absurda, quantumvis ab omni ratione aliena excoxitatur, quin inter Philosophantes suos reperiat Antistites & Patronos.* Numerum Stellarum & magnitudinem tantopere non moror: incerta enim sunt omnia. Numeravit equidem Gruenbergerus 1225. Kepplerus 1392: Plinius 1600. Bagierus 1725. Ricciolius his omnibus magis oculatus vidit ultra vicies centena millia. Ratum nihilominus est apud Astronomos æquè ac Theologos plures esse Stellas invisibiles, quām visibles, nosqué instabili oculorum intuitu facile ludibriū pati, quod vel in solo circulo, ut vocant lacteo, sive Galaxia ad oculum est; quām omnes asserunt hodie congeriem esse minutissimarum Stellarum, quæ, cùm seorsim ob exilitatem & distantiam videri nequeant, conjunctim obscura luce ob multitudinem procul albescunt.

EX
METEOROLOGIA

Experimentum I.

D E

Parheliis & Paraselenis.

REDE cecinit Poëta: *Ludit in humanis Divina potentia rebus.*

Theatrum enim est machina hujus universi ; Personas agunt Creaturæ, quæ ordinatione Divina nunc has, nunc alias figuræ induunt, vera non facta metamorphosi ; unum aquæ elementum, quod patitur vicissitudines, modò cum effluviis heterogeneis a surgit ut nebula, & extimam duntaxat globi superficiem allambit : modò serenioris cæli beneficio ascendit ulterius, in torem concrescit atque una cum florum sale vegetabili, in mellis favum coagulatur. Porro postquam superas evasit in auras, jamque medium Aëris regionem attigit nebulosa vaporatio, adeo, ut particula una aliam assequatur, atque medium substantiam ætheream ex poris crassioribus, ob compressionem corporis ambientis excludat, coalescit in nubes, quæ pro varia sui agitatione portenta imaginum, terribilesque visu formas oculis nostris objiciunt. Post nubes denique,

Ruit arduns æther
Et pluvia ingenti sata lata boümque labores
diluit. Virg. l. 1 Georg. v. 324.

Ecce, quod Metamorphoses in unica Aquæ substantia, nequid dicam de Aëre, qui aliquando concitat in ventos, turbinatur in Typhones, pingitur in irides, rotatur in Halones, in Virgas & Casmata modificatur. Sunt nimurum, hæc & alia admiranda illa Naturæ opera, quæ à sublimitate quam petunt, Meteora dicuntur. Et inter hæc quidem aspectabilis universi phænomena, alia ob miniriam sui frequentiam in assuetudinem abjerunt, ita ut nemo miretur amplius ; alia verò, quia raritate & novitate sui oculos omnium abripiunt, non Naturæ, sed Gratiae partus esse creduntur. Inter, quæ ea maximè veniunt, quæ emphatica dici solent, quod Lumen & splendor eorum unicè attendatur. Talia sunt ea ipsa, de quibus in titulo experimentum promittitur, Parhelia & Parælenæ, quæ illud habent singulare, quod Solis & Lunæ imagines multiplices non sine aspectantium stupore repræsentent. Neque illa continuò ut figura repudiari debent, quod læpe Novellarum vacuitates expleant ; certa enim experientia docet, à multis retro

sæculis imagines ejusmodi revera in cælo apparuisse. Testis hujus phænomeni luculentus est Livius , qui dec. 5. l. 1. commemorat, Romæ tres Soles supra horizontem visos esse, dum Bellum Romanos inter & Perseum Macedonum Regem calidissimè ferveret. Insuper regnante Vitellio , cum omnium admiratione videbatur Sol unus plagi orientalibus obversus , alter in occidentem respiciens. Anno æræ Christianæ IIII. Luna duplex in cælo apparuit , atque una in aliam impetum facere , & infestis armis pugnare velle putabatur , donec spissa nubes utramque è conspectu eriperet. Et hæc quidem phænomena secundùm se considerata vires naturæ adeo non excedunt , ut etiam quandam eorum analogiam tere quotidie exhibere sibi possit curiosus Physicus : Eligat enim sibi vasculum aliquod vitreum , aut Crystallinum , quod aquis impletat ad summa usque labia ; In ejus autem fundo nummum ponat diversi ab aqua coloris e. g. ducatum ex auro : deinceps verò tot passus à vasculo recessat , ut per ejus orificium nummum in fundo videre nequeat ; Ita enim eveniet , ut duplē videat nummum , eum qui in fundo est per Crystallum , itēque novam ejusdem imaginem in superficie aquæ propter refractionem specierum ex aqua in aërem , sive ex medio denso in rarum.

CRISIS THEORICA.

D E

Modo , quo fiunt hæc meteora.

Ita omnino evenit in Partheliis & Paraselenis , sive replicata Solis & Lunæ imagine. Sol enim non minus ac reliqua corpora , quæ sensum visus afficiunt , sui imagines sive species circumquaque diffundit , quæ medium Diaphanum , ut est Aër , ejusdēmque poros rectissimos liberè pervadunt , donec in objectum , nubes aut vapores inæqualiter raros incident , ubi radii sive species Solis diversimode refringuntur , & imaginem ejus videndam exhibent in loco , ubi revera non est. Neque tamen nubes quæcunque torida

&

& opposita soli apta est , & proximè disposita ad repræsentandum mirabile hoc phœnomenon , sicut nec vitrum quodcunque speculum est , nisi bene tersum sit & levigatum , atque ex altera parte plumbo illinatur . Quod autem in Speculis vitrum est , in Parrheliiis vapor est Diaphanus , & quod in illis plumbum est , hoc in nubibus opaca exhalatio est , qua velut Bracteā nubes ipsa terminatur . Et ita quidem , communior Peripateticorum . Non ausim tamen Cartesium , hīc vel erroris vel temeritatis arguere , quod existimet , plures Soles spurios , aut Lunas apparere posse , tum per reflexionem , tum per refractionem factam in nubibus , sed congettatis , adeoque politis & perspicuis , ut speculi faciem præferant . Quid nī enim nubis elevatae latera , calore soluta , repente frigore secundūm superficiem possint congaciari ? hæc verò crusta ad radios solis reflectendos aptissima evadit , atque juxta variam partium variarum configurationem plures Soles poterit exhibere . Constats præterea fuit veterum , & adhuc hodie est aliquorum opinio Parrhelia tantum nasci Sole vel oriente vel occidente ; quibus obsistit experientia Anni 1625. illo enim anno 20. Martii , dum Sol in medio cursu iter suum teneret , horam duodecimam inter & primam , quatuor Soles cælo suspensos attonita stupuit Roma . Neque enim tenaces vapores mane duntaxat aut vesperi surgunt , sed pro varia anni tempestate etiam in meridie poris aëreis se insinuant & lucem reflectant . Nihil igitur est in hisce phœnomenis , quod prodigiosum sit , aut præter naturalem rerum ordinem aliquid portenderet . Nemo tamen inficias iverit singulari quodam casu quandisque prodigiosa esse posse , & haec tenus aliquando fuisse , in omen , aut luctuosi , aut læti temporis . Quemadmodum enim narrante Josepho & Egesippo ante interitum Hierosolymitanum totus quasi exercitus conspiciebatur in aëre nubiloso , non sine omni futuri eventu ; ita Parrhelii aut Paraselenis facile concedi potest , opera supra naturæ ordinem miranda alligata fuisse . Anno mundi 3925. Sol triplici in imagine fuit conspicuus , eodemque Julius Cæsar à conjuratis imperfectus Augusto cessit sceptrum & coronam .

Anno

Anno Christi 1174. quo Luna triplicata se videndam exhibuit, statutus Mediolanensis cum copioso foederatorum agmine Fridericum Barbaroslam cruento certamine superavit. Taceo solem trinum in Polonia 1492. in Hungaria 1526. Erfurti in Thuringia 1580. Venerabilem in Normandia 1713. quibus Historici, penes quos fides integrarunt, auguria tribuunt fasta & nefasta. Nos vero Physico contenti, manum subducimus.

Experimentum II.

D E

Lapide Fulmineo.

NON minus sapienter, ac verè sagacissimus Meteororum contentator Fromondus edixit: *Ideo natura, aut natura Auctor Deus* *hac prodigia cælestia & mira in celo phænomena suspendit, atque oculis* *nostris exposuit, ut suspiceremus Creatoris in mirabilibus suis sapientiam, & Majestatem!* Horum autem præcipuum in sublimi exlorum
aree monumentum, & argumentum divina suggerit sapientia, dum fulmina cudit & fulgura, Jovis ignea tela, quæ ipsos etiam Nerones,
Caligulas & Domitianos reddant attonitos, atque in agnitionem
supremi Numinis venire compellant, ut doctè cecinit Petronius:

Primus in orbe Deos fecit timor: ardua calo
Fulmina dum caderent, discussaque mænia flammis,
Atque iætus flagraret Athos.

Stupenda enim esse fulminis esse &c. ambigere nemo potest, qui hodiernam experientiam eum virorum probatissimorum testimonio, atque ipsa adeo natura rei componit. Plinius, cui Lucretius concinit, inter fulminis clari, ut vocat, effecta reenset, quod Dolia vinum exhaustantur intactis operimentis, nulloque alio vestigio reliquo. Seneca, eius fides, temper integerrima, suspecta esse non potest, restatum reliquit, quod fracto ex fulmine dolio vinum persistat, rigor tamen ille & consistentia non ultra triduum duret. Testis

item

item est multorum fama , quandóque ex fulminis i^estu capillos , ve-
stimenta aliaque adjacentia corpori repentinō igne comburi , ipso
corpore humano penitus illæso . Testes insuper adhuc hodie super-
funt oculati , quandoque & in marsupio , gladium in vagina incom-
busta liquesteri , ossa comminui , eute & carne integra manente .
Hæc nimurum , & id genus alia fulminis effecta , quæ succincta bre-
vitatis ratio fusiū persequi vetat , naturam non modò rationalem ,
sed & ipsa adeo bruta animantia reddunt siderata & stupore defixa .
Ingeniis præterea curiosis non modicum facessit negotium alius
quidam fulminis effectus , quem Lapidem dicunt Fulmineum vel græ-
ca voce Ceraunium . Sunt enim nonnulli , qui ne credulitatis notam
sibi inurant , aut æstu solius Authoritatis abripi videantur , Ceraunium
inter Lrides Deucalionis sive fabulas annumerant , vel ideo , quod
Avicenna , Author minu probatæ fidei , sæculo à reparatâ salute duo-
decimo primus memoretur vidisse Cordubæ in Hispania Lapidem
cum fulmine è nubibus deturbatum . Alii econtrario probabiliter
judicant Lapidem dari fulminantem , qui esto fulmen non sit , ef-
fectus tamen s^epe numero concomitans est . Et ad hanc quidem
sententiam cerebra invitat experientia , cui in Physicis refragari , hæ-
resis est Philosophica . Testatur autem Schottus S. J. vir in natura-
libus rebus curiosissimus similem Heripoli , Franconia Metropoli
asseverari in Ecclesia D. Jacobi transmœnum in Scotorum Mona-
steria , quem catenula è columna templi suspensum teneat . Te-
stantur idem Antonius Buettus , Morinus Cardanus , aliquique gra-
vissimi nominis Auctores , Lides ejuscemodi ex nube ignita &
fragosa decidisse . Mihi vero instar omnium sit clarissimus Ar-
noldus Senguerdius in suis exercitationibus Physicis pag. 188. de
Lapide , qui Dordrechti Anno 1650. 6. Aug. decidit & hodie dum
servatur , sancta fide asseverat : tuisse nimurum ita ferventem , ut
tabulatum combusserit , tantóque impetu projectum , ut vitra in
suprema ædium contignatione Illustriss. D. Syndici Dordracensis
omnino diffregerit . Si nihilominus tantorum virorum fidem , neu-
tiquam suspectam , negligas , & notam credulitatis vereris , expe-
rimento

timento non semel tentato negotium omne illustrabo: Accipe sedimentum aquæ pluvialis, quod tibi copiosum suggesterent vasa, in quibus hæc aqua asservatur; misceatur huic justa nitri & sulphuris mensura; incendatur; & videbis massam hanc subito lapidescerere. Et quid nî particulæ terrestres, pulverulentæ, Lapidæ, cum nitro, bitumine & sulphure accensæ intra nubes, possint in solidos Lapides indurescere?

CRISIS THEORICA.

D E

Causis Lapidis Fulminei.

GENESIN Meteorî tam prodigiôsi, utut raram fidem in terris invieniat, ex quatuor causarum generibus derivare, arduum nobis non erit. Et materialem quidem suppeditant elementa Lapedea; neque enim Sol vi attractiva, & ut ita dicam magnetica tantum valet sursum evocare ingentem vaporum copiam, quam testantur agmina & coagula nubium densissimarum, sed eandem quoque exercere poterit in particulas terræ tanto subtiliores, quò magis calore Solis compages eorum cæteroquin arctissima fuerit dissoluta. Certè enim gravitas obstare nequit; Pes enim aquæ cubicus certò creditur pendere libras parisinas 72, Pes verò Lapidis 140. Si igitur in tanta copia aquæ cuius gravitas major est, quam ramenatorum Lapidescientium, vi, si ita dicere licet, occulta, assurgit in altum, eadem profecto Lapi di nostro fulmineo materiam poterit subministrare. Figura sive forma non omnibus & qua est; aliquando enim figura est Semisphæricæ, & ovi magnitudinem vix superat; unde Brontius vocari solet; aliquando refert Pyramidem, alias Cuneum, Telleram aut globulum. Plerūmque tamea similis est cotibus, ad quas Phlebotomici suas account Lanceolas. Accedit, quod durissimus sit & naturæ plusquam ferreæ, quæ nulla ratione liquari possit, aut emolliri; adeo ut si igne validissimo torqueatur, in favillas potius abeat & cineres, quam in particulas. Vidi ego

C

Cerau-

Ceraunium , qui multis malleorum ictibus ad incudem fabri contusus ne minimam sui particulam passus est separari. Unde potius assentior Gaslendo , quam Fromondo , qui leves plerumque & pumicibus adustis similes contendit esse Ceraunios ; Ille vero Lapidés pumiceos , non tam è nubibus , quam terræ sinu prognatos , atque adeo non fulmineos , sed spuriós existimabat. Causam sui efficientem in rigore Peripatetico nullam habent. Meteora enim cum sint mixta imperfecta , ab aliis particulis , quæ vices subeunt causæ Materialis , specie non differunt. Dispositiones tamen , quæ reducuntur ad genus causæ efficientis , has præcipuas habet , particulas nimirum minerales , & inter eas quidem maximè idonei sunt halitus nitrosci , sulphurei , itemque alkalici omnes , aut alkalicis affines , qui ramentis lapidescentibus se immiscent ac in poros insinuant. Testatur hoc graveolentia sulphuris , quam in Lapide illo Dordracensi percepérunt , qui suis illum manibus tradárunt. Neque tamen particulis hisce mineralibus totum absolvitur negotium , nisi motus accedat concitatiōr , & vehementia caloris , cui occasionem præbet mixtio illa particularum : Ex hac enim necesse est nasci primò fermentationem , quam proximè consequitur effervescentia , quæ quò fuerit major & subitanea magis , tantò motus particularum erit velocior , mixtio perfectior , Lapis durior. Alium protestò Archæum , aut vim plasmaticam fingere necesse non est , quæ enim causa Vapores , exhalationes & particulæ in altum tollit , & in arctum cogit , densare etiam potest ramenata Lapidea. Causam denique finalem effecta prodigiosa loquuntur , quæ passim & in ore multorum & in libris Auctorum circumferuntur. De iis ita habet Senguerdius in suis exercitationibus : Infantes ab hernia præservari , si cunis imponatur , itemque hoc Lapide curari , si eo morbo laborent : Domum , in qua servatur à fulmine tutam esse , somnum provocare &c. Merminit præterea quendam affirmasse ex iis in calcem redactis oleum elici , quo si tormenta bellica inungerentur , ubi exploduntur , certò certius dissilire. Sed hæc quidem certò non constant. Fides itaque sit penes Auctores.

Expe-

Experimentum III.

DE

Terræ Motu.

SCilicet insita Philosophis omnia scrutandi cupiditas satis non habet , tubis & Telescopiis cælestia Phœnomena perlustrasse ; Ferro insuper aliisque instrumentis in propriæ Parentis, Terræ inquam , viscera viam sibi parat expeditam , ut ex iis legat curiositatis jucundæ simul & utilis argumenta ; jucundæ , inquam , curiositatis ; solet enim Philosophia , velut altera studiosa apicula ex floribus venenatis mel , in objectis maximè terrificis suam querere oblectationem . Et quid terrificum magis esse possit , quam quando ,

Magnis

*Motibus in terris & multæ per mare passum**Subsedere suis pariter cum civibus urbes ? Lucret.*

Cui non injiciant spectacula tam horrifica attoniti terroris sensum ? dum videret specus ardentes , montes flammivomos , Chasmata & hiatus vastos media in terra aperiri , domos , familias , urbes amplissimas , editos montes absorberi ? Quæ sunt tantum præludia malorum , quorum intuitu tantum abest terreti Philosophum , ut etiam noctes agat insomnes , donec eorum contemplatione animum satis oblectarit . Sed neque nos vestigia terrent tam funesta , ut potius occasione Novellarum anni proximè præteriti de Meteoro tam tristi experimentum capere visum sit . Memorari Relatio- nes Francofurtenses nundinis Paschalibus hoc anno editæ , quod tertia Augusti Anni 1714. Patris (Patrasso) in Morea tanta fuerit con- cussio terræ , quæ horis omnino novem duraverit , ut ædificia fere omnia magna strage afflixerit , Templum PP. Carmelitarum cum Campanis ex media parte prostraverit . Ibidem narratur , quod eodem anno in montanis Vallesiacæ , prope confinia Bernæ , terra eom- mota tam horribili tonitruorum mugitu concrepâtit , ut illius re- gionis Incolis planè evenierit , quod Kircherus narrat de horrendo terra motu in Calabria , cui ipse spectator adfuit , nimurum fugere

per apertos campos, prætimore aroscere, atque ultimi iudicii diem for-
 midare. Postquam enim terra diu multumque concusla, largiter
 detonuissest, ex ingenti hiatu fumos primùm, tum favillas, stupen-
 dásque flamarum Pyramides evomuit, greges & armenta cum
 Pastoribus devoravit, Casas & tuguria brevi incendio absumpsit,
 Hæc illa sunt Mundi subterranei miracula, de quibus jani olim Pli-
 nius verè dixit: *quod in nube sunt tonitrua, hoc in terra tremor est;*
 Utrobiq; enim murmur, fulgur & strages. Non erit igitur abs re, aut
 proposito meo, hujus tanti tamque tremendi miraculi specimen, ob-
 viis experimentis, quæ fulmini etiam communia sunt, illustrare.
 Et mugitus quidem illos ac tonitrua subterranea artificiose satis
 imitatus est P. Athanasius Kircherus, dum hospites suos (solenniori
 pompa excepturus globulos vitreos, instar nucis avellanæ, aqua
 nitrola, non tamen usque ad summum implevit, & orificio bene
 occluso prunas ardentes subjecit. Calore particulas nitri & aquæ
 motu perturbato sensim agitatæ, aliisque particulis igneis per po-
 ros se insinuantibus, globuli, vitæ particularum elasticæ amplius
 resistere non valentes, tam horrendo fragore vitrea repagula perru-
 petunt, ut Machinas æneas, aut tormenta muralia displosa crede-
 res. Et quid mirum, si cavernis terræ hinc inde inclusa ingens ni-
 tri & aquarum copia, igne subterraneo particulas raro faciente mu-
 giat, murmuret, intonet? donec in auram liberiorem cum strepitu
 magno evadat. Ignis vero subterranci genesis subterraneam experi-
 mento tam novo, quam ingenioso Anno 1700. 21. Aprilis in Aca-
 demia Regia Collegis exposuit Mr. Lemery in hæc fere verba: æsti-
 vo sole massam confeci ex mixtura ferri limati, sulphuris & aquæ
 modicæ, quæ penderet libras 50, hanc bene subactam in vas ali-
 quod capacius immisi, ac deinceps sub aperto campo terram exca-
 vavi; vas tela linea obductum & bene clausum in ea reposui, ter-
 rāmque effossum ad altitudinem unius pedis desuper injecti; ita que
 horis circiter novem sollicitè observavi quid eveniret. Et primò
 quidem expleto hoc tempore animadverti terram intumescere, tum
 calescere, & in exiguos quosdam hiatus aperiri, per quos ascendero
 visus

vitus est vapor quidam calidus & ab odore sulphureus. Vaporem continuo assequitur flamma , iteratis vicibus erumpens , & rimas largius diducens : in peripheria denique loci , quem vas illud occupabat , inventus est pulvis ex flavo & nigro compositus , qui una cum flamma & vapore ex vase illo fuerat eructatus. Hæc si in mastram modica & loco non admodum profundo evenisse docet experientia ; facilis est conjectura , quid futurum fuisset , si in profundissimis terræ recessibus hæc eadem observata fuissent. Neque amplius dubium esse potest , crebras adeo in quibusdam regionibus terræ concussions , flammorum , cinerum , & vaporum eructationes ex iisdem omnino causis generati.

CRISIS THEORICA.

D E

Causa efficiente Terræ Motuum.

NOlo equidem insolentem agere Dogmaticum ; quia tamen tot tantorumque nominum adest authoritas , ipsaque luculenta experientia , quæ in hoc negotio plurimum adfert momenti , irrefragabilis est , aperte pronuntio contrarium sentientes , à veritate quam longissime aberrasse. Et primò quidem Joannes Kepplerus , vir alias sagacissimi & ardentissimi ingenii , itemque trium Imperatorum , Matthiæ , Rudolphi & Ferdinandi II. Mathematicus , mentem Platonicorum erroribus adeo imbutam habuit , ut mordicus teneret terram vastissimum quoddam animal esse. Quæ opinandi licentia , quam peregrina est , tam absconas parit sequelas ; quarum maxima in substrata materia est hæc : quod terræ motus sit tremor hujus animalis , paroxismo febrili laborantis. Risum tenetur Academicus ! habet enim etiam ingenium humanum suos abortus , qui tantò deformiores sunt , quantò magis deflecent à veritate. Fuit & alia quondam Epicuri ac Democriti sententia , quæ tamen hodie sua sponte deficiens , cessavit esse in pretio apud sanioris Philosophiæ cultores. Aquam illi in subterraneis alveis fluens

tem causam terræ motū efficientem esse putaverunt. Quid enim, dicebant, ingentes turres subvertit, valla & propugnacula in abyssum dejicit; aggeres demolitur? nisi aquæ rapidioris vis ac violencia; quin adeo ipsa duni axat stillicidia, partes terræ & arenæ sensim abducunt, ut corpora superædificata collabantur. Ita omnino in longissimis aquæ ductibus subterraneis evenire, ut aqua continuo rupes arrodat, donec moles superior deorsum suo pondere nitens, subductis fulcimentis, descendat in abyssum. Evidem non inficiabor ex aquarum subterlabentium edacitate non unam jam contigisse ruinam. Hæ enim Chersoneos sive Peninsulas vertunt in insulas totasque regiones à suis, sedibus convellunt; sic testo Plinio Hispania Africæ olim conterranea, Sicilia Italæ, Cyprus Syriæ, Asia Europæ, quas certè regiones à se invicem divulsit aquarum potentia, quæ per canales subterraneos velut venas Megaeosmi diffunduntur. Sed, ut rectè inquit Seneca, aliquando plus impetus habent, quæ infimo veniunt aquæ. Causam vero in his universalē statuere, repugnat experientiæ. Quid enim tremor & concussio totius regionis commune habet, cum aquæductibus in terra? Quid flamarum & exhalationum nubes? Sed nec Aristotelis placita ex toto arrident. I. 2. Meteor. c. 8. sentire videtur, terræ tremorem non aliunde oriri, quam à ventorum rabie, qui ex amplissimis terræ cavernis, velut ex ergastulo suo erumpere tentant; quod à ratione quidem alienum non est, imò probabile, leviores quosdam terræ motus ex ventorum in suis receptaculis impatientia concitati. Tantum verò abest, posse magnos illos, nec admodum frequentes motus, quibus fundamenta montium quatuntur aliisque abyssorum excrementa egeruntur, ventis attribui, ut ne probabiliter quidem id fieri posse judicemus: maximè cum causa & proportionata magis & experimentis plurimis comprobata præsto sit, ignis nimicum subterraneus. Neque enim Elementi hujus locus proprius supra aërem est usque ad cælum Lunæ teste ipso Aristotele I. i. Meteor. c. 4. quod enim sursum est, air, & usque ad Lunam, dicimus esse corpus alterum ab igne & ab aëre. Item: Hoc corpus propter

... (23) ...

per consuetudinem vocamus ignem, non est autem ignis. Ignis igitur locum rectius in centro terræ statuimus, cui pabulum suppeditare Saxa calcinabilia, Bitumina, & mineralia, quæ calorem & motum dum communicant partibus vicinis, ubi nitrum abundat & sulphur, cum particulis & ferri ramentis, necesse est compagem terræ cæteroquin arctissimam disrumpi, eaque exhibere phænomena, quæ natura stupet universa.

EX GEOGRAPHIA.

Experimentum I.

D E

Longitudinis Geographicæ harmo- nia cum tempore.

IN nuce iliadem unus vedit Plinius l. 7. c. 21, nemo Geographiam. Tanta enim est, tamque varia de globo hoc terraquo rerum tractandarum materies, ut post expleta jam integra volumina novi identidem pululent partus ingeniorum, qui, quod majoribus defuit, copiosa suppleant eruditione. Nemo igitur exspectet à nobis, quod plusquam temerarium foret, arctatam in paucas lineas Geographiaz summam. Hoc opus, hic labor noster est, ex Geographia triplici, Universali, Usuali & Historiali experimenta totidem producere, quæ fori nostri limites non excedant. Est verò pars altera Geographiaz universalis, quam vocant parallelometricam, cuius munus est, eas terræ affectiones sub amissim vocare, quæ eidem accidunt ab apparente Solis, & Stellarum motu. Hæc enim terraquam in suas distingit Zonas, in varia dividit clima- ta, ex duobus hinc inde polis immobiliter suspendit; unde porro consequaneum est, suas diversis regionibus respondere proprietates diversas. Quæ enim Provincia zonæ sudest temperata intra circu- lum tropicum & polarem, qualis est non modo tota Germania, sed Europa etiam universa, Solem habere nequit verticalem, unam dun- taxat

taxat numerat & statim, & hyemem unam, plures habet Stellas
 temper apparentes, plures latentes. Quae sub Aequatore medium
 tenet globi terraquei, ut America Meridionalis itemque regnum
 Abyssinorum, Solem bis in anno habet verticalem, & statim per-
 petuam, diem continuo 12. horarum, Stellas omnes quotidie & ori-
 entes & occidentes. Hæc suis invenit Lucubrationibus Parallelō-
 metica. Quibus etiam accenseri debet longitudinis Geographicas
 harmonia cum tempore, cuius in hoc negotio utilitas est longè ma-
 xima. Atque ne hallucineris in limine, longitudo loci cuiusque in
 terraqua est arcus Aequatoris, aut circuli paralleli, qui describitur
 à primo meridiano & desinit in meridiano secundario illius loci, cu-
 jus inquiritur longitudo. Clarius forte sic dicitur, quod sit distan-
 tia loci numerata à primo meridiano ortum versus in gradibus, aut
 minutis sive Aequatoris, sive Parallelī locum transeuntis. Et hæc
 quidem una omnium est vox & sententia. Quis vero ille sit meridia-
 nis primus & primarius, discordia est inter Auctores modernos &
 antiquiores. Olim cum Erathostenè plures meridianum primum
 ad columnas Herculis sive Ceuta & Gibraltar alligabant. Alii
 cum Ptolomæo & Marino Tyri ad fortunatas Insulas, sive Cana-
 rias, quibus hodie pars potior & major R. R. accessit, si paucos
 excipiāt quorum alii insulas Hesperides, alii Azores sive Flandri-
 cas pro stabili sede sui meridiani elegerunt. Sed nec inter ipsas for-
 tunatas una omnibus placuit Insula; Aliis cum Gerardo Valck o
 Anno 1700. in suo globo terraquo placuit Teneriffa, aliis cum Jo-
 anne Danckert Insula Ferro, cum Gallis alii Insulam Palmam, ex
 qua Columbus in Americam primò digressus est, ceteris prætule-
 runt. Ego ne ad unam præ aliis ex Fortunatis eligendam auctor
 um, optionem omnibus æquam relinquo; eaque supposita ad men-
 suram longitudinis & temporum varietatem experimentis corro-
 borandam ita procedo: Postquam calculo Astronomico accurate
 constat tempus futuræ Ecclipses Lunaris, necesse est duo inter se
 convenient, quorum alter in una ex Fortunatis, initium, medium
 & finem hujus Phœnomeni ita observet accurate, ut non modò
 ope

ope Astroscopii omnes disci Lunatis digitos , cum umbra terræ , quamvis tenuissima , videat ac describat , verum etiam tempus , horam , quadrantem , & si fieri potest minuta nascentis & exspirantis Ecclipsis cum primis notet ; quod itidem si fiat eâdem omnino accuratione hîc Heidelbergæ longitudo nostra eo ipso manifesta erit . Ecclipsis enim , si ponatur contingere in Insula Palma hora noctis decima , hîc videbitur minutis circiter 5. post duodecimam . Signum igitur est , Heidelbergam distare à primario Meridiano Insulæ Palmaræ gradibus 31. cum minutis circiter 30. Quæcunque enim Provincias 15. gradibus orientalior est quam Insula Palma , una hora serius videbit Ecclipsin . Ex quo præterea sua sponte fluit harmonia temporis cum longitudine : Cùm enim , ut dictum est , gradus 15. longitudinis pariant differentiam unius horæ , qui 15. gradibus magis vergunt ad orientem , illos una hora citius Sol salutabit . Sit igitur nobis hora octava antemeridiana ; Et erit Pernaviæ in Livonia , Tycozini in Massovia , Leopoli in Russia hora nona . Iconii in Cappadocia hora decima , Derbenti in Persia hora undecima , in Insula Formosa & Philippinis hora duodecima . In Japonia & nova Guinea hora prima . Econtrario Malacæ in Regno Granatæ , Gibraltar in Amdalusia , Alcantaræ in Extremadura hora erit septima cum minutis 4. horuin enim distantia locorum à primo meridiano gradibus 16. absolvitur . Pluribus supersedeo , ne longior sim , atque Geographiæ Candidatos ad globum artificiale remitto , ubi expeditiori manu fieri potest demonstratio ; Si locus , quem eligis collocetur sub meridiano æneo , & Index applicetur horæ quam statuis : tum enim volve globum ab oriente in occidentem donec perveneris ad locum , cuius horam inquiris , & illam tibi designabit index horarius post 15. gradus semper aliam & aliam , cuius fundamentum est , quod circulus æquinoctialis gradus numeret 360. quos omnes Sol motu raptûs percurrit spatio horarum 24. igitur horis singulis gradus 15. percurrere debet .

CRISIS THEORICA.

D E Tempore in consideratione Meta- physica & Astronomica.

REDE ait de Tempore P. Henricus Scherer S. J. in sua Geographia artificiali : *Unum ex difficillimis & summè necessariis requisitis esse tempus, utpote sine quo nihil certi in celo statuit Astronomus, nihil in terris decernit Geographus, sapius in mari hallucinatur Navarchus.* Quid verò sit tempus ? Si nemo ex me querat, scio, si querenti explicare velim, nescio, Verba sunt Magni Aug. l. 2. Confess. c. 14. Est nimis tempus ex arcanis illis Physicis unum, ad quæ Philosophus, cum rerum causis indagandis occupatus, perpaucas se intelligere & longè plurimas suæ se cognitioni subducere experitetur, in hæc verba erupisse dicitur: *Quantum est, quod ignoramus!* Neque confessio tam ingenua Aristoteli, aut ejus sequacibus indecora fuit. Nemo enim rectè Philosophari unquam didicit, nisi modestia comite, cuius est, *Jactantiae modum ponere, & ingenii vires humano modulo metiri*: secus ac faciunt nonnulli sequioris ævi Philosophi, qui rerum omnium naturas proprietates & affectiones suo scrutinio detectas vana temeritate aliis persuadere conantur. Atque utinam hi non etiam vano Aristotelicorum nomine gloriarentur. Sed redeamus ad Tempus cuius obscura satis definitio non obscurè loquitur suum Auctorem ; ita verò ait l. 4. Phys. c. 14. *Tempus nihil aliud est, quam numerus motus secundum prius & posterius.* Intelligit autem numerum numerabilem & objectivum, sive collectionem partium motus successive fluentium, quas sedula Astronomia in motu Solis & Astrorum circulari observavit. Hic enim motus cum uniformis sit & semper æqualis, numerabilis est proximè, sive idoneus est ad mensurandum, quæ diu res fluxæ & successivæ duraverint. Astronomiæ porto cultores, ut motus illos continuò fluentes in certos

certos ordines dispescerent, quoties Sol aut Stella quæpiam, ad eundem meridianum, à quo discesserat, revertebatur, diem naturalem appellabant. Circulum enim Æquatoris primum in gradus 360. dividebant, quorum 15. dum Sol aut alia Stella motu raptus absolveret, horam sive partem diei naturalis vigesimam quartam designabant. Præter mensuram autem horarum, aliam insuper statuerunt, nimirum hebdomadam, quam constare volebant compositione dierum septem, quibus superstitione cultu nomina Planatarum indiderunt. His accesserunt menses solares, quo nomine indicabant tempus illud, quo Sol emititur partem Ecclipticæ duodecimam, sive unum Zodiaci signum. His verò mensibus tribuebant dies quandoque 30. quandoque 31. cumque nihilominus annis singulis 6. circiter horæ superercent, donec Sol omnia signa Zodiaci decurreret, mensi Februario quarto quoque anno diem unum, qui ex horis illis singulatim collectis emersit, adjiciebant. Menses Lunares synodicos dierum 29. & horarum 12. cum minutis 44. itemque Periodicos dierum 27. horarum 7. minut. 43. quia usus eorum in civibus nullus est, studiosè hic prætermitto. Denique maxima motus mensura annus solaris est sive tempus illud, quo Sol conficit integrum revolutionem per Ecclipticam, cuius quatuor numerantur tempestates, Ver, Æstas, Autumnus & Hyems, & earum quidem vicissitudines quantum metiuntur Astronomi, tantum de iis mentiuntur Astrologi; unde satius erit subducere manum de tabula, & Tempori cedere.

Experimentum II.

D E

Globo & Mappis Geographicis.

Erravi dum dixi: solam in nuec iliadem Plinio visam, nemini Geographiam. Imò verò totam rerum universitatem in compendio spectandam exhibit Geographus. Quid enim, amabo, est ilias? quid Myrmecidis quadriga, quam ex ebore fecit adeo subtilem,

tilem , ut ala muscæ integeretur ? quid ejusdem navicula tam delicate fabricata , ut pinnis apiculæ absconderetur ? quid essent quindecim alearum paria , suis punctis assabre distincta , quæ Mechliniæ in cerasi calculo ostentantur ? quid hæc aliâve plura , quæ velut nova mundi miracula omnes admirantur , si vastissimo globo terraqueo æquiparentur ? ausim dicere omnino nihil . Et Machinam tam stupenda magnitudinis intra unius tabellæ aut globuli angustias artificiosa coëgit Geographia ; de quo ingenioso epigrammate lusit Claudianus , dum Jovera in sphæram Archimedis indignantem ita inducit :

*Jupiter in parvo dum cerneret athera vitro
Risit, & ad superos talia verha dedit:
Huccine mortalis progressa potentia cura!
Jam meus in fragili luditur orbe labor.*

Ità certè ludit Geographi manus industria , dum globum volvit , & revolvit , regiones vias & invias , inusitata camporum spatia , Ulyssis errores , Herculis peregrinationes , maria & Promontoria , sinus & freta , Insulas & Peninsulas , Isthmos , flumina & Ostia , verbo terras cum omni , quæ iis circumfunditur Amphitrite , describit , & unius membranæ palmaris spatio circumscribit . Sed nec sua caret utilitate hic lusus tanto compendiosior , quanto utilior , ut redit ait Seneca : pauca attigisse juvabit . Latitudinem Loci , atque adeo elevationem Poli , hæc ostendit operatio : Verte globum , donec Heidelberga substet æneo meridiano . Deinceps incipe numerare gradus & terupula versus polum Arcticum , ab Æquatore gobi ad locum jam designatum , & hæc erit latitudo loci ac elevatio poli , nimirum gradus 49. & minuta 22. Dabit insuper hæc eadem operatio aliorum quoque locorum latitudinem : Quæ enim gaudent eodem parallelo , atque idem punctum ænei meridiani post revolutionem contingunt , in latitudine nihilo distabunt ; & , quod consecutaneum est eadem subibunt dieterum ac noctium de - & incrementa , tempestatum vicissitudines , & ejusmodi plura . Si tamen excipias loca magis orientalia , quibus dies ac meridies , proportione

ne graduum , citius illucescit. Distantia præterea locorum inter se accurata globi constructio indicat manifestè. Applica enim pedem unum circini puncto Heidelbergensi , & alterum puncto Vienensis ; tum distantiam interceptam transfer ad Aequatorem ; numeris gradus , quos invenies esse tres ; hos si multiplices per 15. milia-ria dabunt Germanica 45. Constat enim experientia uno gradu cir-culi maximi in terraqua designari 15. millaria Germanica , 60. Ita-lica , 50. Scotica , Leucas Gallicas & Hispanicas 25. In Geographia porro usuali etiam Mappæ suum habent momentum ; Sive univer-sales ex sint , quæ totum globum terraqueum in planisphærio ap-tissimè repræsentant ; sive particulares , quæ unam aliquam orbis partem , Regionem , aut Provinciam suis gradibus , numeris & lineis appositè distingunt. Et earum quidem usus , quia multiplex est , copiosius videri debet in Auctoribus. Unum experimenti loco adjicio , quod ex Mappis universalibus facile possit demonstrari , quinam populi Antipodes sint , Periceci & Antœci ; ubi præprimis necesse est exactè uumerare gradus , quibus unius meridiani distan-tia ab alio definitur quoties enim meridiani inter se distant gradibus 180. in Aequatore numeratis , & Paralleli æqualis omnino lati-tudinis sibi invicem sunt oppositi , populi , qui sub his Parallelis cen-sentur , Antipodes vocantur : Ita Germanorum Antipodes sunt Amer-i-canæ Australiæ circa Californiam. Noster enim meridianus intra gradus longitudinis 30. continetur , Illorum verò , qui circa oram Magellanicam aut navigant aut habitant , 220. complectitur. Sub-ductis vero 30. primis , distantia inter Germaniam , & partem illam Americalem erit 180. graduum. Pariter ratiocinare de Goanis in India Orientali , & Mexicanis in occidentalí , quorum Paralleli 20. circiter gradus habent , alter in Boreali , alter in Australi parte. Pe-riceos in Mappa Geographica communis ostendit Parallelus , sub diverso licet meridiano. Et tales sunt Itali & Græci , Arabes cum Mexicanis. His opponuntur Antœci habitantes nimirum in Pa-rallelis oppositis , sub eodem tamen meridiano , ut Cretenses Caf-fres ; Arabes & Madagascarenses , qui temperie quidem cæli frun-

tur eādem, sed oppositis plane vicibus; dum enim unus friget in hyeme, alter sudat in estate. Sed Intelligenti, hæc pauca dicta sint satis.

CRISIS THEORICA.

D E

Figura & magnitudine Terræ.

Ex dictis difficile non erit arguere figuram & magnitudinem Terræ, quam divisa in partes Geometrarum studia omnino incertam reddere voluerunt. Anaximander Terram instar *columne* protensam dicitabat. Leucippus *Tympani bellici* figuram tribuebat. Anaximenes *mensam planam* asserebat. Democritus *discum cavum* vocabat. Heraclitus *Scaphium*; Cleantes *Conum*; Ovidius deniq; Terram *pile* similem affirmabat. Et hic quidem præter usitatam Poetarum in fingendo licentiam, omnium proxime ad veritatem accessit. Terram enim physicè sphæricam esse hodie Authoritas plurimorum exquisitis rationibus persuadet. Notissimum est illud, quod ab umbra terræ conica petitur argumentum: Cui tamen, ne nimium tribuatur cavendum judico. Certa enim experientia constat, quod solis radii per foramen quadratum traje^{ti}sphæram exhibeant consummatam. Quid ni igitur etiam terra, si figuræ statuatur esse cubicæ, umbram in Ecclipsi jaciat circularem? sed cur stellæ fixæ populis, qui magis orientales sunt cœtiūs videntur; iis autem seriūs, qui plages habitant occidentales? Cretes certè & Arabes, quia per 60. gradus magis vergunt in orum, Stellas fixas per quadrihorium ocyūs vident, quæ simul omnibus oriri necesse foret, si figura terræ Cubica admitteretur. Accedit, quod navibus ex alto appellantibus summa turrium & montium fastigia primū & ultimū oculo speculari sui copiam faciant; id, quod temerè à nonnullis in Atmosphæræ crassitatem, quæ superficiem terræ premat, & radios Lucis suffocet, derivatur. Temerè, inquam; cum Atmosphæræ in prima sui regione exhalationum,

coagulo

coagulo densior sit in summo quam in simo loco. Nihil itaque prohibet figuram terræ sphæricam adstruere, qua supposita & assumpta velut basi calculus magnitudinis rectius inveniri poterit. Hæc autem dividitur in absolutam & respectivam. Et absoluta quidem, ut loquitur Blanckanus in sua sphæra, primum est Cosmographiæ miraculum, de quo ad amissim Mathematicam explicando humana desperat infirmitas, cum nemo certus sit, an in superficie terræ consistat, quæ nec justò sit elevatior, nec depressior. Unde facile evenire possit, fieri circulum circulo ambitus terræ majorem. Physticam igitur magnitudinem inquiramus, quamvis nec ista omnibus eadem sit; alia enim est aliis mensurandi ratio. Communissima Peripheriæ terrestris, mensura statuitur esse milliarium Germ. 5400. Ita enim potior pars Geographorum supponit, quod Circuli terrestres cum cœlestibus exactè respondeant. Quoties igitur itinere terrestri tantum viæ conficitur, ut polus articus uno supra horizontem gradu elevatus appareat, gradum unum in circulo terrestri, atq; adeo millaria 15. confecta novimus hæc 15. millaria si multiplicentur per gradus 160. (totidem enim complectitur circulus quicunq;) numerus resultabit 5400. milliarium, quibus perimeter totius globi terrauei absolvitur. Diameter vero eadē proportionē ad Perimetrum mensuratur, quam habent 7. ad 22. ita etiam fere se habent millaria 1718.ⁱⁱ ad 5400. Cum ergo ratum sit Perimetrum non amplius 5400. millaria Germ, continere ex proportione Geometrica sequitur Diametrum terræ fere complecti 1718.ⁱ, aut si fractiones abesse velis, cum in calculo difficiliores sint, 1720. semidiameter econtra 860. Hæc de magnitudine absoluta. Respectivam optimè statuit, qui ait, quod terra respectu cœli & corporum superlunarium punctum sit. Illa enim magnitudo sumitur à proportione, quæ terram inter & mundum aut corpora cœlestia intercedit, & tanto magis incerta est, quanto minus sensibilis est firmamenti altitudo. Ne tamen nihil omnino dicamus Typhonis Brahe conjecturas accipimus. Saturnum ille inter errantes supremum terra majorem existimat

22. vicibus, Jovem duntaxat 14. Solem, 140. Quin ipsas etiam stellas oculo censore minutissimas Terram magnitudine sua excedere putat tanto discrimine, ut aliæ 100 aliæ 68. vicibus maiores sint. His ita probatis, conjectura facilis est, quantula universi portio sit terra nostra, si cum vastis adeo corporibus veniat in comparationem.

Experimentum III.

D E

Topographia Palatinatus.

UBI Geographus desinit, ibi Topographus incipit, vetus est paroemia. Lustravimus abunde & peragravimus immensa terrarum spatia, oculo & pede Geographicō. Nunc revertimur ad propria duce Topographia, cuius hoc ab illa discrimen est; quod certos sibi præstituat, limites quos ultra citrāq; nequit evagari. Insigniores enim quasdam regiones aut Provincias, casq; non plures, sed unam aliquam sub calculum vocat, & examen. Experimentum cape in Palatinatu nostro inferiore, cuius summam epitomicaṁ sub schemate & figura quadam adscititia, quod Topographiæ solenne est, præmittere juvabit. Europam olim Strabo, dixit, Draconem esse volantem, cuius caput sit Hispania, Collum Gallia, pectus Germania, alæ dextra lœvæq; Cymbrica chersone-sus, & Italia, reliquum Corpus Polonia, Hungaria, Græcia, & si quæ sunt aliæ regiones, ad Asiam usque. Itaque pariter non nemo lusit de Belgio, cuius Provincias, comitatus, & ditiones tam scitè composuit, ut Leonem nationis illius insigne repræsentarent. Nec minus concinnè Leo Palatinus, eo situ & ordine locorum in mappa Geographica exhiberi potest, ita nimitem, ut Caput emineat in Præfectura Heidelbergensi, cuius pupilla sit Heidelberga ad Nicrum; Collum protendatur Nemetes inter & Vangiones sibiique connectat Præfecturam Neostadiensem; Corpus reliquum constituant & ornent Ducatus Bipontinus, & Comitatus plurimi, itemque Præfecturæ oppidis, pagis & subditis insigniores. Sed ut singula

singula penitus ad Leges Topographicas expendantur ad 4. prius
 cardines omnia revocabimus, nimis ad orientem & occiden-
 tem, ad meridiem & septentrionem. Itaque ad meridiem Palatin-
 natus conjungitur Alsatiæ inferiori. Ad occidentem spectat Lo-
 tharingiam & Archi - Episcopatum Trevirensem, ad septentrio-
 nem clauditur Rheno ac Mœno, & Landgraviatum Hasso - Darm-
 stadiensem sibi habet vicinum. Denique ad orientem, nobilem
 Franconiam & Wirtenbergam in jus Vicinitatis admittit. Extendit
 præterea sua latifundia tam ab Austro in Aquilonem, quam ab ortu
 in occasum ad millaria 26, numerosa ubique Civitatum, Castello-
 rum & Oppidorum multitudine. Inter ea Principem locum tenet
Heidelberga, ab annis quingentis & ultra Sereniss. Electoris Palatini
 Sedes, quam situs, & conditio loci reddit amabilem, Academia
 vetustissima facit illustrem. Huic proximè adjacet *Manhemium*,
 quod Rheno alluitur & Niero, suāque alegantia viatorum curiosi-
 tatem proritat. Habet & suam apud Vicinos commendationem
Nemetum Neapolis, vulgo, die *Neustadt* / delicium orbis Palatini,
 in finibus Westrasiz. *Vallis Francolina Luculentum Gallie furo-*
ris monumentum, è Cœnobio primùm in formam Urbis amplifi-
catum, hostium olim risit insultus; opera enim Gallobelgarum
exulantium fortissimis undique propugnaculis munitum fuit.
Mosbacum Arcem ostentat non modò elegantem, sed etiā anti-
quissimis, Romanorum monumentis celebrem, Crucenacum Avi-
tis Caroli Magni temporibus jam satis notum, ex busto Gallico
sensim revivisces p̄stino se restituit splendori. Cæsarea Lutra in
Wasgovia arecē habet à Friderico Barbarossa ædificatam; quam
alluit Lutra fluvius, qui se totum effundit in Cæsaris Insulas (ita
vocant Lacum vicinum, de quo perhibetur, quod ex eo, Anno
1297. Lucius piscis extractus sit 19. ped. quem Fridericus II. Impe-
rator eō demiserat Anno 1230, ut in annulo collari piscis illius loge-
batur græcè, quod latinè ita redditur: Sum ille piscis, stagnum om-
nium primus ingressus, per Imperatoris Friderici II. manus quinta die
Octobris Anno 1230, Ladenburgum olim Metropolis Germaniæ barba-

rie & Cis-Rhenane, militari opera Iussu Imperatoris Valentiniiani exstructum, Valentinoburgum dicebatur, donec variato singulis prope saeculis idiomate, ad hodiernam nomenclationem degeneraret. Weinheimum in stratis Montanis suam ostendit antiquitatem lapidibus incisam, qui in vineis olim reperiebantur, cum hac inscriptione: OENOTRIA; Quæ stylo Romano exarata auctorem suum non obscurè manifestant. Oppenheimium Carolinæ pietatis illustre documentum, Anno 775. Laurishaimensi Monasterio dono datum, deinceps verò oppidi imperialis privilegia eum reliquis habebat communia, donec ad Rheni Palatinos pervenisset. Bipontum, quod originem suam Druso tribuit, Augusti Privigno. Ingelheimum Caroli Magni, ut aliqui volunt, natalibus inclytum, & Ludovici Pii Imperatoris cum Juditha nuptiis honoratum. Baccharacum, quod olim, post abolitum veterem Palatinatum in partibus Mosæ & Mosellæ, sedes erat Rheni Palatorum, sui prærogativam habet in vini generositate. Præter civitates & Oppida, quæ non sinit præscriptæ brevitatis ratio omnia recensere, plures, insuper, easque subditorum frequenter copiosas numerat Præfecturas: Nimirum Heidelbergensem, Mosbachensem, Brettensem, Sennheisensem, Boxbergensem, Utzbergensem, Alzeianam, Germersheimensem, Neostadiensem, Lutrensem, Oppenheimensem, Simmerensem, Kirchbergensem, Baccheracensem, Strombergensem, & novissimè denique Ladenburgensem. Episcopatus intra suos fines complectitur duos, Spirensim, cuius Protector perpetuus est Elector Palatinus; & Wormatiensem, cuius Capitulum, cum Episcopo Salomone Anno 1353. pariter in tutelam Electoris Palatini concessit, adeo, ut Episcopus se Capellanum Electoris litteris authenticis nominaret. Tacco Comitatus insignes; quos intereminet Leyningensis; aliasq; ditiones per totum Palatinatum magno numero dispersas. Quibus omnibus LEO PALATINUS, ceu pretiosis monilibus condecoratus vicinis minorum Gentiis Diis magnam sui ingenerat venerationem. Ecce tibi specimen Palatinatus Typographicè adumbrati quantum lieuit per chartæ hujus angustias.

(35)

CRISIS THEORICA.

D E *Fertilitate Palatinatus, & ejus causa.*

QUAM sit varia terrarum ac regionum indoles, judicium esto penes illos, qui dies suos ducunt in peregrinationibus. Dis similis fateor, est sibi ipsi & heterogeneus secundum partes sui præcipuas globus terraqueus, atque adeo à seipso diversus in figura, pondero & mensura. Maximè vero dissimilem existimo in bonitate Regionum & malignitate. Unde sapienter Poëta: *non omnis fert omnia tellus*

Hic segetes, illuc veniunt felicius uvæ,

Arborei fætus alibi, atque injusa virescant

Gramina; nonne vides croceos ut Thmolus odores,

India mittit ebur, molles sua Thura Stabæi. Virg. l. l. Georg.

Nihil feracius est, aut amoenius Siciliæ collibus, adeo, ut olim fuerint Populi Romani horreum. Sed, quām exculta vitibus, quām secunda frumentis, tam sylvis destituta & lignis, ut ardente licet ætna frigus arcere nequeat, nisi aliunde ligna conquerat. Nascitur aurum in Arabia, in Norvegia, aut Spitzberga penitus ignoratur. Ficus & Malogranata suppeditant Hispania & Italia; in Russia vero & nova Zembla vix nascuntur steriles Saxosis montibus Arni. Aliter nimirum terra se habet, ubi assurgit in montes, aliter ubi subsidit in valles, aliter germinat in sabulo, aliter fructificat in pingui solo, aliter operatur in piano, ubi ventis exposita est, aut borealibus, aut Meridionalibus. Nulla tam beata, ut necesse non habeat aliunde suppetias sibi emendicare. Beatiorem tamen aliis nemo non dixerit illam Provinciam aut Regionem, quæ intra sua pomceria, plantat, serit, metit, & colligit, quod aliz operoso sumptu per terras & maria convehunt, atque in usus necessarios convertunt. His merito accensetur, cum jure aliquo prærogativæ, noster Palatinatus Rheni, cui optima fama,

non modò per omnem late viciniam sed ultra remotissimos etiam
fines subscribit illud Luctetii l. 2.

*Lata parit nitidas fruges, arbuscāque lata,
Et genus humanum; parit omnia facta ferarum.*

Non ille cælum accusat ferreum, aut tellutem Novercam, quem
plena semper, Marte licet adverso, comitata fuit fecunditas. Ha-
bet gratissima sylvarum & montium proscenia; hinc Nieri, inde
Rheni aperta æquora, quæ sua Domino pendunt vestigalia non
tantum in copiosa pilosum captura, sed etiam in auri talentis, quæ
per Urinatores extrahi prope Hachenbach in Præfectura Weisen-
burgó vicina, testis est Frecherus in *Orig. Palatin.* Habet prata
irrigua, quæ statim temporibus luxuriant gramine. Habet horto-
rum & camporum raras delicias. Habet in collibus vites, quæ sua
late jactant brachia, abundant pampinis, gravidantur Botris, im-
plement torcularia, & vina excoquunt generofissima. Verbo terra
est benedicta, & in rore cæli desuper & in pinguedine terræ. Si
causam tam insolite fertilitatis physicam inquirimus; hæc in prom-
ptu est. Nimurum diffusio salis nitrosi quantum satis est. Multa
enim Chymicorum experientia Constat, terras feraciores etiam ex-
titisse nitrosas, quod in Marga, (genus est terræ, quod vulgo dicitur
Mergel) quotidianus usus docet Agricolas in Marchia Badensi. Hi
enim agros suos simo ratiū subigere solent, saepius autem inspergunt
terram illam pinguem & glutinotam, ex qua ita imprægnatur, ut fru-
ctus ferat desideratissimos. Idem probat artificium illud, fructus ter-
restres multiplicandi; quando enim modicum salis nitrosi liquefit in
rore mane collecto, & semen aliquot horis antequam seminetur, in
hac aqua maceratur, fructus mirè multiplicantur. Tanta vis
inest sali nitroso. Fateor tamen, quod multis aliis indigeat admi-
niculis, ut suam complete exerat efficaciam. Cur enim alias
sola Austria gigneret Crocum; in sola China & Japonia cresceret
herba The; in sola Arabia Caphe, in sola America Cacao, in sola
Ægypto Balsamum verum? necesse igitur est, ut insuper terra So-
lis

lis radiis debite temperatis incalescat, & pro mensura particula-
rum, Salis, Sulphuris, Nitri &c. subear fermentationem, quæ
deinceps determinet formam & figuram fructus ex semine gene-
randi. Et quid ex omnibus his considerari potest in terra nostra
Palatina? Quod salibus abundet, testor Chimicos, qui ita discur-
runt: Terra quò nigror est, è feracior, quò feracior, è nitrosior.
Igitur cum terra Palatina nigra plerumque sit, sale volatili abun-
dabit. Neque Solis incusare potest inclem tam, cuius radios
nunquam reflectit absque sceno re. Bene igitur scripsit de Palati-
natu Müllerus in suo Atlante minore: *Quod sit regio totius Europea*
elegantissima simul ac feracissima.

E X

HYDROSCOPICA

Experimentum I.

DE

VENILIA ET SALACIA Maris.

Ita Latini vocant affluxum & refluxum teste Aug. l. 7. de Civ. Del
de quo pleni sunt omnes libri, plenæ sapientum voces, plena deniq;
omnium ab orbe condito sacerdotum monumenta. Nec tamen
usque hodie liquido constat, unde oriatur tam constans maris vi-
cissitudo: esto in ea, investiganda plurima ab omni ævo eruditorum
ingenia desudarint: hoc solo eventu, quod monstra sententiarum
pepererint. Omnia tamen monstrissima fuit illa Stoicorum
& Platonicorum, qui cum terram animatam esse somniasset, af-
fluxum & refluxum maris, hujus portentosi animalis anhelitu ef-
fici dictabant. Alios libido, contraria sentiendi, ita abstraxit,
ut statuerent subterraneam quandam Voraginem, quæ ma-
ris fluctus continuò vomat & resorbeat. Alii vix non desperant
cum Aristotele, qui cum ad littus Euripi (tractus est Matis Egei,
inter Boeotiam & Eubœam) fluxum ejus & refluxum assiduò con-
templaretur, nec tamen primam ejus radicem sive originem asse-
qui valeret, in aquas Euripi se præcipitasse fertur, altum vocife-
rans

rans in hæc verba: *Non capit Aristoteles Euripum, capiat ergo Euri-*
pus Aristotelem. Ita omnino plures de - & intumescientia Ma-
 rinæ causam audacter pronunciant esse investigabilem. Non de-
 sunt tamen etiam cordati Philosophi (quorum Disputationi Deus
 mundum reliquit) qui Veniam maris & salaciam ita explicant,
 ut physicam quidem probabilitatem non excedant, moralem ta-
 men quandam certitudinem suis Auditoribus ingenerent. Quam-
 vis & illi in duas abeant sententias toto supposito diversas. Alii
 enim cum Copernico terram Planetatio more circulum describi-
 re ; Alii fixam & immobilem stare contendunt. Illud ceu po-
 stulatum assumit Cartesius ; hoc Peripateticus. Cæterà in hoc solo
 unanimes, quod Lunam uterque velit esse primam radicem, ori-
 ginem & causam principalem , cur mare alternis vicibus
 ad littus accedat & recedat. Et vero , si experientia in Phy-
 sicis cum ratione certat, nemo facilè inficiabitur, hanc perpetuam
 aquarum de - & affluentiam Lunæ deberi. Triplex passim statui-
 tur maris æstus , Annus circa duo Aequinoctia ; Menstruus in
 Novi - & Plenilunio ; Diurnus post singulos diei naturalis qua-
 drantes. Nunquam tamen contingit , nisi Luna aut Duce aut
 Comite. In Annuo sub Aequinoctium vernum e. g. dum Luna
 existit plena & Soli opposita manifestum est: Vix enim ascendit
 Luna ex circulo media noctis per mare Orientale ad meridianum
 sinu Gangetici, in quo itinere 6. circiter horas insumit, jam inci-
 pit mare effervesceere , æstuare , currere ; dum vero superato hoc
 meridiano per mare Indicum defertur; recedit mare , & pristinam
 denuo recuperat stationem. Sed in Menstruo longè mirabilior est
 Maris cum Luna consensus. Siquidem in Novilunio æstus est ma-
 ximus, ad quartam fere diem , qua Luna incipit esse falcata. De-
 incepit vero usque ad septimam notabiliter decrescit. Septima
 autem, octava & nona ante Lunæ quadraturam fere omnino con-
 quiescit. Exinde fit progressus ad Plenilunium , servatis iisdem
 omnino intervallis , quæ in discursu Novilunii docuit experientia.
 Æstus denique diurnus , uti constans est, ita à Causino rectè dici-

tur humanae curiositatis sepulchrum; nunquam enim oculus satia-
bitur visu. Ita tamen constans est, ut Lunam usquequaque sequa-
tur præambulam. Vix enim Luna supra horizontem emergit &
properat ad punctum meridiei, Mare jam intumescit, dum vero
a meridie declinat in occasum, detumescit; a punto item Occa-
sus ad punctum medie noctis altera item vice fluit & crescit, do-
nec Luna ab hoc punto in Orientem moveatur; tum enim vero
mare retrogradum sola sui relinquit vestigia. Quid, quod oculo A-
stronomico plus vice simplici observatum sit, Lunam post 24. hora-
rum curriculum non ad eundem planè meridianum redire, sed 50.
circiter minutis ab eodem distare, atque adeo circulum suum diur-
num vix intra 25. horas absolvere. Et nunquid etiam Mare sancta
quadam observantia Lunæ, Directricis suæ, periodum æstus recipro-
ci fere ad 25. horas extendit? Tanta est habitudo æstus Marini cum
Lunæ motu, ut ex singulis cursus Lunaris quadrantibus infallibili-
ter definiri possit, quâ horâ, ubiunque gentium æstus perficiatur.
Quin etiam experientia suffragatur experientiae: Constat enim in-
numeris experimentis Lunam corporibus & affectionibus humi-
midis dominari. Cerebrum profecto, quod humiditate frigida
abundat, Lunæ variationes exactè sequitur, nequid dicam de Mor-
bis pituitosis, quorum incrementa Lunæ tribuit Galenus. Et
mirari quis ausit, Lunam vasto Maris Oceano, qui inter corpora
humida principem certè locum tenet, effacieius Dominari?
Utere si lubet experimento vulgari magni illius Athanasii Kir-
cheri, & mirari desinas Lunæ cum Mari tam arctam necessitudi-
nem: Pelvum ille aqua nitroso replevit, salem communem miscuit,
nocte serena radiis Lunatis exposuit; & quid factum existimas?
Aqua nimis cœpit in fundo primùm ciere motus, tum effe-
vescere, aslurgere in bullas, margines transcendere, idque tanto
ferocius, quo propius Luna aberat à Plenilunio. Hæc periclitati-
te & æstus marini causam quam dedimus, manu palpabis.

CRISIS THEORICA.

DE

Modo Sympathiae inter Lunam & Mare.

Quod mirabiles sint elationes Maris & mirabilis in Altis Dominus, una est omnium confessio, qui Maris cum Luna Sympathiam inquirunt. Infirmitas enim ingenii humani tanta est, ut ubi sensus ancillari nequeunt, continuo haereat, & quod penetrare non potest, tantummodo obstupescat. Est verò haec inter utrumque Sympathia, tam recondita, ut nullis sensibus pateat, vel unicum ejus vestigium. Quod aestus non aliter eveniat, nisi in partibus maris oppositis Lunæ, & quidem per lineam rectam diametraliter transeuntem per centrum Mundi & centrum ipsius Lunæ, per sensus accepimus. Quomodo id fiat à Luna, quā efficacia, quā virtute, quibus adminiculis, quis divinabit? Duæ potissimum hīc vigent sententiaz, seu verius conjecturaz; quarum prior virtutem Lunæ Magneticam attribuit. Corpus enim Lunare, inquirunt, eodem fere constat temperamento, quo noster globus teraqueus; Cujus assertionis argumentum illis est lueulentum, multiformis influentia qualitatum specificarum, quibus omnia fere corpora sublunaria habet sibi obnoxia. Inter has qualitates aliæ sunt activæ & motibus excitandis idoneæ, ut in experimento Kircheriano notavimus. Cūm igitur Mare teste Aristotele l. 3. de generat. Animal. c. ult. abundet spiritibus Sulphureis, nitrosis, Salinis, quorum ingens copia, in fundo potissimum coagulatur; si accedant & radii & influentiaz Lunares, necesse est experagefactis spiritibus undas Maris intumescere, donec qualitatum Lunarium vis refracta Oceanum contra præfixos sibi limites denuo finit abire. Haec illi satis speciosè. Altera, quæ plures numerat sequaces, repudiato Magnetissimo, virtutem in Luna compressivam auguratur, ut simul atque supra horizontem processerit, mari incumbat, & quasi lato

lato affere , quo cunque sp̄argit Lumen , Oceanum una parte humiliet , ex alia parte , exalteat . Ita enim evenire necesse est , ut Mare protuberet ad dextram & ad sinistram , quod hac analogia vulgaris indoctis , ad meliorem intelligentiam , exhibere conantur : si quis enim asserem Lacunæ impositum leniter deorsum premat , aqua supra margines se effundit , nec ante cessat effluere , quam pondus super iacumbens locum faciat ad regessum . Ita pariter corpus Lunare mole sua vastissimum Atmosphærā , quæ immo- diatè subjicitur , lente primum , deinde verò tam violentè premit , & urget , ut pressio illa ad globum usque terraqueum propagetur . Et mare quidem utpote liquidum , quæ data via & porta ruit , & in ripas ac littora latè exundat . Ex quo consecutarium est , quod ubi motus Atmosphæræ vehementior , etiam Maris æstus sit fero- cior . Interim tamen etiam non inficiantur hujus sententiaz Pa- troni , quod terræ conditio plurimum conferat ad diversitatem æ- stus marini . Ad littora enim humiliora , magisque declivia flu- Ætus maris Decumani sua sponte ruunt , ad altiora verò & Promon- toria tardius progrediuntur . Ita etiam in fretis Gaditano , Magel- lanico &c. ubi Maris transitus angustior est , aqua maris necessariò assurgit altius , & tanto amplius intumescit , quod arctius con- stringitur inter duo littora . Tandem & reliqua astra cum suis influentiis in subsidium vocant , quæ Lunam in activitate sua cor- roborent , & æstus faciant concitatiores , cur enim Mare in duobus Æquinoctiis , in Novi & Pleniluniis tantopere intumescit ? nisi propter conjunctionem vel oppositionem alterius ejusdam Planetæ ? Quod vel ipse Aristoteles sensisse videtur I. 4 de gener. Ani. c. 10. ubi ait : *Luna autem principium est propter Solis societatem :* Et ita quidem illi virtutem Lunæ Sympathicam argumentis mini- mè dubiis confirmatam firmiter sibi persuadent : Nos cum aliis dubitare , quam in re tam difficulti , & omnium judicio inexplica- bili temerè quidquam statuere . Quare cum Lucano dicimus :

*Tu , quacunque moves tam crebros causa meatus ,
Ut superi volvare , late ,*

Experimentum II.

D E

Fontibus miris & raris.

SI uspiam locuples est experientia in mirabilibus Naturæ ostendit, est profectò in Fontibus, qui prodigiose Naturæ magisterio alias atque alias sortiti sunt proprietates. Celebratissimus est apud Curtium Fons Hammonis, quem stata caloris & trigoris vicissitudo posteritati imperitæ non parum de veritate suspectum reddidit. Eum describit Curtius l. 4. his verbis : *Est aliud Hammonis nemus : in medio habet fontem, Solis aquam vocant : sub Lucis ortum tepida manat ; medio die, cuius vehementissimus calor est, frigida eadem fluit, inclinato in vesperam calescit ; media nocte fervida exastuat, quoque nox proprius vergit ad lucem, multum ex nocturno calore decrescit, donec sub ipsum diei ortum assueto tempore languescat.* Cui consonat Lucretius Poëta dum canit :

*Est apud Ammonis fanum fons, luce diurna
Frigidus ; at calidus nocturno tempore fertur.*

Garamantes etiam gloriantur teste Aug. l. 21. de Civ. Dei c. 5. in suis finibus fontem scaturire, qui de die tam frigidus sit, ut non bibatur, noctu vero tam calidus ut non tangatur ; quæ proprietates aquarum quanto magis oppositæ sunt, tantò difficiilius fidem inveniunt in rigidiori schola Peripatericorum. Quid igitur dicent de admirandis aliis fontium miraculis, quæ testes habent partim oculatos, partim religiosissimos. Certè Plinius l. 2. c. 103. sanctè testatur apud Gratianopolim fontem manare, qui, cum aquas habeat frigidissimas nonnunquam tamen flamas evomat. Ibidem, ut narrat D. Aug. l. 2. de Civit. Dei c. 7. se accepisse ab iis, qui viderunt, fons reperitur naturæ tam admirabilis, ut faces extinguitas protinus accendat, nullo ignis vestigio apparente. Hæc tamen gravi vitorum autoritate roborata fabulis accensere non præsumerem. Proprius tamen accedit & ad veritatem, & ad experientiam unius è qualitatibus oppositis constans exsuperantia.

Ita

Ita enim in Delphimatu Galliae non procul Vienna fons esse perhibetur tam intensi frigoris , ut bibentium dentes & ora obstupescant , nec in eo manus contineri possint. Plures similes recentur Stiria itemque Arabia Trogloditica , Regio cæteroquin calidissima , quorum aqua glaciem gelidissimam frigore suo longè excedit. De aquis vero calidis per meatus subterraneos ad nos usque derivatis non modò veterum monumenta testantur, sed etiam hac nostra æate in pluribus provinciis magno advenarum emoluimento frequentantur. Ortelius memorat, in Greenlandia Insula, ubi hyems rigidissima est novem ferè mensum , fontem reperiti aquis adeo calidis, ut in Monasterio Fratrum Prædicatorum Cellæ non alio igne calefiant , quam aqua illa ferventissima subterlabente. In Engrovelandia scatet Fons Aquis adeo ferventibus , ut ibidem Panis & Pulmenta omnia petinde ac in cibano excoquantur. Sunt & in Asia frequentissimi fontes calidi , quorum austus intolerabilis foret , nisi frigida temperaret. Sed , quid antiqua motor & ab oculis nostris remotissima ; obvia sunt non tantum in Europa , sed vel in sola Germania Thermæ complures , quas ignes subterranei continuò fovent , & caloris à frigore circumstante jaçutram idem reparant. Tales sunt in Austria Badenses , in Bohemia Carolinæ , in Brisgoia Badenqvilane , in Hassia superiore Wisbadenses , Empsanæ & Serpentinæ , in Ducatu Juliacensi Aquenses , in Archi - Episcopatu Salisburgensi Gasteinenses , in Bavaria Abacenses , in Wirtenbergia Ferinæ , in Helvetia Piperinæ , omnes ferventes & calidissimæ. Præter hæc comperta satis fontium miracula innumera alia in rerum natura extitisse perhibentur, quorum tamen causa Physica & idonea non minus latet , quam olim prima Nili scaturigo. Tales sunt aquæ Clitoria in Arabia, de quibus canit Ovid. ult. metam. quod nauseam vini concilient :

*Clitorio , quicunque stim de fonte levârit ,
Vina fugit , gaudetque meris abstemius undis.*

Tales quoque merito censentur fontes illi in Canochia Hiberniæ Provincia, quorum alter bibentes efficit canos , alter canos com-

mutat in nigros. De Fontibus Tamaricis in Cantabria hæc refert, Plinius l. 31. c. 2. mirum est eos non fluere aspicere volentibus , sicut proximè accidit Lartio Licinio Legato post Praturam post septem dies. Similia fere habet Fulgosus l. 1. c. 6. de alio fonte Lucanæ in parte Regni Neapolitani , quam basilicatam vocant, qui Senis distare dicitur mille passibus , ad quem , si quis accesserit nihil locutus , neque retro conversus , aquis manabit limpidissimis ; sed , ut primùm adstantes loqui incipiunt , aut tergum fonti obvertunt , mirum quantum turbabitur. Alius itidem fons Tungris Galliae Utbe insignis ex eo est , quod ejus aqua admoto igne lucente turbetur. In Halefina Regione fons est , teste Solino , c. 10 Cujus aquæ non moventur cum apud ipsum siletur , ubi vero resonant tibiæ , exultabundus ad cantum elevatur , & velut admirans suavem concentum , ultra margines intumescit. Taceo infinitos similes , quorum alii memoriam , oblivionem alii inducunt ; alii habentes reddunt sensus , ad risum & fletum provocant , Calvitiem generant , restituunt juventutem , lapide injecto pluvias & tonitrua concitant , ingentes lapides eructant , colorem mutant , animalia suffocata ad vitam revocant , sterilitatem tollunt , strumas efficiunt. Quorum plerique et si nullam oleant superstitionem , veram tamen & genuinam radicem suorum effectuum hactenus occultârunt.

CRISIS THEORICA.

DE

Præcipuis Fontium Qualitatibus.

Fontium qualitates dum nomine , non eas intelligo , quas omnis Philosophia velut exoticas aut negligit , aut inter occulta naturæ miracula referre consuevit. Sed illas examini subjicio , quæ à natura aquæ Elementaris vel non abhorrent vel quotidiana experientia , substantia licet nauseante , inesse deprehenduntur. Ethæ quidem sunt potissimum duæ , Calor nimirum & frigus , quæ velut primariæ & magis compertæ aquarum dotes suam originem & radicem

dicem in altissimis montium cavernis abscondunt, & non nisi experientia ac ratione faciem præferentibus deteguntur. Est enim calor, si Philosopho ereditus, qualitas aquæ non satis amica, quæ in ejus substantia non nisi pugnas ciere nata arctam partium compaginem motu suo continuo & perturbato dissolvit, quod legibus Amicitiæ, quæ membra inter se arctiori vinculo connectunt, contrarium est. Non igitur suam ab aqua trahit originem. Quod enim violentum est, ab extrinseco venit. Nec difficile foret hujus effervescentiæ causas extrinsecas derivare, nisi constans & continua à tot retro saeculis affluentia dubium moveret. Hæc enim præclarissima ingenia in diversas facit abire sententias. Sunt, quæ tuerunt à prima mundi creatione in terrarum abysso, nullo alio sufflaminante aquas hasce Calidas fuisse procreatæ. Alii ignes duntaxat subterraneos, in æstuariis Authore Mundi præparatis hanc ebullitionem causare volunt. Alii item à fulmine, in terras penetrante, materiam ignibilem accendi, & aquas calefieri certò sibi persuadent. Quæ tamen tutò sustinere nemo possit contra fortissima Adversariorum objecta. Fateor equidem ignem subterraneum hanc fervoris constantiam multum promovere; huic vero uni omnia tribuere, manifesta vetat experientia. Habet enim terra in penetralibus suis reconditas alias opes pluriimas, quibus effectus tam mirabiles operari possit, quod Chymicorum praxis quotidiana satis docet. Norunt illi ex usu, qui, & quales effectus nascantur pro varia aut liquorum, aut partium terræ mineralium ad mixtione. Cujus exemplum dedi exper. 3. Meteorol. Aliud nobis suggerit Felix Maurerius, in observationibus suis curioso - Physicis: si enim, inquit, oleum Vitrioli purissimum cum debita portione aquæ frigidæ commisceatur, nascetur extemporanea ebullitio, & calor intensissimus. Quod etiam testatur Franciscus Bayle, evenire cum alba creta, quæ prope balnea Provinciæ Somerset in Anglia eruitur, & est instar calcis vivæ: Hæc enim ut primùm conjectur in frigidam fervorem excitat subterraneum. Quæ evidenter satis convincunt, aquam alias frigidissimam

in meatibus suis simili admixtione aut liquorum , aut particula-
rum mineralium ita alterari , ut qualitates induat etiam inimicas.
Quanta verò in montibus sit copia materiæ ad calorem generan-
dum idoneæ , testantur integræ Regiones , quarum aliæ stillant ab-
undanter oleum Petræ , aliæ fontes Camphoræ supereffluentes ,
aliæ Vitrioli frequentes scaturigines , aliæ cruentant lapides miræ
activitatis , ut cretam albata & ejusmodi plura mineralia calci-
nabilia , quæ si aliis forte oppositis commisceantur , oritur pugna ,
fermentatio & denique effervescentia aquæ . Altera fontium qua-
litas est frigus , non illud aquæ nativum , sed præterordinarium .
Licet enim aqua suopte ingenio frigida sit , potest nihilominus ad-
ditione aliarum particularum ita intendi , ut aliquid supra natu-
ram præseferat . Cujus specimen dedit Boyle hoc experimento ,
quod habetur in Ephemeridibus Anglicanis : Accipe salis Ammoni-
aci pulverisati libram unam , aquæ duas circiter mensuras ; Sal
injiciatur aquæ non una simul vice , sed tribus aut quatuor diver-
sis . Ita enim frigus diutius perseverabit . Deinceps pulvis injectus
bacillo in aqua celeriter moveatur ; incrementum enim & vehe-
mentia frigoris pendet ex dissolutione salis , quæ si debitè peraga-
tur , frigus resultabit in gradu valde intenso ; cuius cognoscendi ra-
ratio petitur ex accurato Thermometro , bene obturato ; hujus
enim basis si mergatur in aqua à sale Ammoniaco imprægnata ,
spiritus vini inclusus celerrimè descendere videbitur , & multò
quidem inferius , quam faceret sub Jove frigido expositus , aut in
aqua communi , citra admixtionem Ammoniaci , constitutus . Ha-
benda tamen etiam est ratio tum annuæ tempestatis , ne nimis
calida sit ; tum bonitatis & virtutis , quæ in salibus non ubique
eadem est . Singula proinde collata ad novam frigoris intensi , mo-
mento producendi rationem juvabunt . Hæc , si Chymicis arti-
bus in modica salis & aquæ quantitate fieri posse extra omnem con-
troversiam est ; quid erit in Montibus , salium diversissimorum
officinis ? certè quotidie experimur tempore æstivo , cryptas subter-
rancias intrantes , horrendum frigus invadere ; Et unde illud ? forte ,
quia

quia à foco subterraneo longius distant, neque radiis solaribus patent? Et ita quidem est, si de causa dispositiva sermo sit. Causam verò quasi efficientem frigoris intensioris, sive in montibus, sive in fontibus unicè refundimus in mixturam illam particularum, tum aquæ, tum salium, aut aliorum mineralium, quibus à natura indita est vis frigefaciendi. Denique ad Fontem Solis revertimur, quem ab omni superstitione satis vindicat hæc nostra Crisis Theorica. Supponimus autem in hoc mirabili naturæ artificio confluxisse ejus genetis mineralia, quorum alia frigori, alia calori educendo nata sunt: his tamen postremis partes potiores deberi, ex effectibus innotescit. Ideo enim aqua illa sub vesperum caler, nocte concubia ferver, mane tepet. Sed cur in meridie, quando Solis æstus major est, præsertim in terra arenosa, qualis est in regione Marmarica illius fontis, cur inquam in meridie friget? Nimirum, dum Sol supra nostrum Horizontem paulatim assurgit, particulas, quibus aër abundat, motu agitat concitato; unde graviores descendunt, leviores ascendunt; particulis autem gravibus merito annumerantur salinares, sive ex nitroscæ sint, sive Ammoniacæ, aut alterius speciei, que impetu accepto stimulante Sympathia globatim in fontis illius poros se insinuant, aliisque commiscent, donec prævaleant, & motum aliarum particularum omnino sistant: Tum enim verò vim suam generativam exerunt, & frigus educunt. At quia sole in vesperum inclinato radii non jam directè, sed obliquè agunt in Atmospharam, particulae salinares sensim iterum evaporant, atque aliis caloriferis tantisper locum cedunt, paulo post repetendum. Hæc, si ita sint, non definitio; tantum probabiliter & absque omni specie superstitionis ita sustineri posse contendeo.

Experimentum III.

D E

Monstrosis Aquarium habitatoribus.

Nondum pedem ex globo terraquo referre licet, priusquam de

de Aquarum habitatoribus curioso Academico faciamus satis. Ex iis vero monstruosos Oceani abortientis partus mihi sclegi, quos ad fabulas olim telegabant, non tantum Poetæ; sed & hodie plures semidoctuli blaterones è naturæ hujus Universitate eliminant, & inter *aduvata* reponunt. Quibus illud è trivio argumentum, ex Aristotele male intellecto depromptum, errandi dedit occasio-nem, quod Auctor naturæ sapientissimus singulis animantibus in-generaverit facultatem producendi fœtus *in similitudinem naturæ*, sive talem, quæ sit assimilativa geniti cum generante secundum speciem. Cujus tamen argumenti infirmitas, immo falsitas, nisi illius sensus restringatur, vel ex eo patet evidenter, quod monstra terrestria & aquatica simul omnia jugularet, contra communem experientiam; cui suffragium addit Drachenberga, Urbs Silesia, in qua anno 1652, die 22. Aprilis natum est monstrum triceps, cu-jus caput medium erat Lupinum, exerta lingua sursum prospiciens, dextrum verò rubicundum & sceleto non absimile; sinistrum denique faciem habebat humanâ clariorem. Nec in dubium vo-cari potest, quod refert Thomas Fienus, de Nepte Nicolai III. Pontificis ex illustrissima familia Ursinorum, quæ imagines gentilitias frequenter intuita prolem enixa est omnino villosam instar Ursi, contracto collo, & capite rostrato, ungulisque arma-tam. Taceo innumeros alios, qui caninis capitibus pro voce la-tratum edere solebant, qui pedibus caprinis Faunum semivirum & semiferum, qualem Constantino Magno Imperatori obtulit Antiochia, exhibebant. Taceo Elephantem, quem mulier pe-perit Olomucii in Moravia, Simiam alia Carcassone in Britanìa, Glirem Isenaci in Thuringia, quæ fabulis accenseri vetant oculata testimonia. Et quid nî etiam natura aquæ suas habeat præ-varicationes & peccata? ità Philosophus appellat monstra, quæ à recta & consueta secundum speciem dispositione longius aber-rant. Fidem protesto debemus historiis, quibus experientia cam-pum aperuit scribendi amplissimum. Ex iis verò accepimus in profundis aquarum recessibus non modò latitare informes piscium formas,

formas, sed degeneres maximè à primævo semine substantias; quæ, quidem ad Oceani detorem ac ornamentum non parum facere existimamus. Pausanias in publicis suis commentariis sincerus & nulli venalis, se vidisse memorat in Boeotia apud Tanagreos Tritonem Marinum, qui regionis illius oram maritimam diu infestarit, & stabulantes, ut sit, in littoribus pecudes, cæteraque id genus animalia ex insidiis observans, gulæ suæ immolarit. Neque Tanagræis omnia jam expertis aliud suppeditebat consilium, quo illum sibi vindicarent, quam ut vini suavissimi congium in extremo littore exponerent, itaque monstrum illud, piscis an hominis? inebriarent. Quod consilium successit feliciter. Sensim enim monstrosa bestia ad littus appropinquans vino avidius haustose ingurgitavit, ut somno vinorumque sepulta ad oram maris procumberet, itaque sui copiam faceret Tanagræis, qui caput jacentis securi amputarunt. Forina illi exterior cum homine & piske communis erat; capillos habebat in capite prolixos, sed distortos, qui similem referebant colorem, qualem conspicimus in doris palustrium ranunculorum. Nares illi erant ab humanis nihilo differentes, sub auriculis tamen branchias occultabat. Os habebat rescissum & latum, dentes ferinos, oculos glaucos, manus insuper cum articulis ad humanam maximè effigiem expressis; digitorum vero unguis coqulearum ostreis quam simillimas; reliquum vero corpus tenuis contextum squammulis in piscem caudatum more Delphinorum desinebat. An peregrina & fabulosa narro? Absit; hæc enim in quotidianum pene spectaculum abiisse docent insulae maritimæ. In Norvegia, non procul ab urbe Elepocho in Nassam venit piske, cui à figura nomen Monachi marini inditum fuit. Similes alios educavit mare Balticum, Britannicum, & Oceanus occidentalis. Anno 1531. Captus est ad littus maris in finibus Polonie & Regi Sigismunduo praesentatus Episcopus marinus, qui in capite oblongo insulam gestabat squammis contextam, ad cujus latera per humeros defluebant appendices duæ; articuli digitorum uniformes non erant, pedes

(50)

humanis non multum absimiles reliquum corpus obesum & squamatum. Quid notum magis est sirenibus, quæ inter Poëtatum commenta locum non unum invenerunt? scribit Theophanes Isaurus; Abbas, quod Menas præfectus ad tractum Nili, cùm in loco, qui dicitur delta, deambularet, orto jam Sole, viderit ipse cum frequenti populo comitante duo Maris monstra, virum scilicet & fœminam, quorum ille pectori fuerit ingenti, vultu terribili, & rufa coma; hæc verò cœstis prolixia, vultuque fœmineo, ad omnem venustatem composto; cuius rei fama ad ipsum Imperatorem Mauritium pervenerit. Anno 1403. in Hollandia marina mulier (Sirenem voca) maris stictibus ad littus ejecta, in urbem Harlem deferebatur, quæ vestitum non recusavit, panis & lactis usum silens & muta ultro admisi, itemque didicit fila e colori deducere, & more muliebri facere imperata. Horum etiam testis illustris est antiquior Hispania & maxime Lusitania, in eujs Archivis extant monumenta, quibus decretum est Regibus deberet. Vectigal sirenium aliârumque belluarum Marinatum, quæ in literis Magni Magistri caperentur. Tanta earum copia erat. Tot igitur & tantorum testium Authoritate munitus, in eam quæ omnium Auctorum est, sententiam concede, in aquis plerisque animantium formas reperi.

CRISIS THEORICA.

DE *Causis Monstrorum.*

Natura insito horrore monstra aversatur, quibus usque adeo delectatur Philosophia, ut ab extima specie contemplanda mox ad interiora Causarum viscera alacriter se convertat. Et initium quidem sumit à Metaphysicis. Aristoteles enim l. 4. de gener. Animal. c. 3, quæ sit essentia monstri Metaphysica sedulo perscrutatus, tandem definit, quod sit peccatum naturæ agentis propter aliquem finem, quo tamen frustratur, ob corruptionem ali-

cujus

cujus principiis. Nimirum animantia, quæunque eorum sit species certam exigunt membrorum harmoniam, & partium corporae linea menta; ab his si natura aut virtus formatrix insigniter deflectit, monstrofa & terribilis visu forma prodibit, ita quidem, ut monstrosi factus mensura, sit erroris magnitudo. Causas eorum Physicas facilius est ab experientia designare, quam explicare, etiam sistendo intra limites naturæ. Prima omnium venit Causa Materialis & proxima, quam Schola Peripatetica non agnoscit aliam nisi semina, quæ vel ob defectum, vel ob excellum, aut aliam corporis animati intemperiem tales inducunt figuræ, quales exhibent degenerantis naturæ effectus. Et cur Monstrorum ferax Africa re & nomine talis esse censetur, nisi, quod aquarum penuria animantia sèpè ad eosdem fontes amicè convenient, & semina inter se confundant? Atque hinc etiam evenire solet, ut partus edantur in lucem monoculi, qualis fuisse perhibetur captivus ille è Mauritania, in vastissimis Ægypti eremis interceptus, dum Romani Volscos insequerentur, aut alii prolixis nimium auribus, quales nati sunt olim in Insulis septentrionalibus tam effusa magnitudine, ut in altera jacerent, velut in culcitra; altera universum corpus obtigerent. Alii item sine brachiis & humeris, qualem dedit India Cæsari Augusto, quod miram haberet dexteritatem omnia manuum officia pedibus obeundi; quorum omnium Causa Materialis prima & proxima rectè statuitur penuria, aut redundantia seminis, ex quo fetus coalescit. Causa formalis non omnibus eadem est, sed vel specialis vel illa ipsa, ad cuius speciem monstrum accedit proximiùs. Scio equidem nasci quandoque monstra, quorum species uti dubia est, ita acriter de illa contraversitur in fôto Theologico, à quo pedem tetrahimus & tantummodo in S. Aug. l. 10. Civ. Dei. c. 8. sententiam concedimus, ita verò ait: *Quisquis uspiam nascitur homo id est animal rationale mortale, quamlibet nostris inusitatam sensibus gerat corporis formam seu colorem, sive motum, sive sonum sive quamlibet vim, qualibet parte, qualibet qualitate naturæ, ex illo Protoplasto uno*

intelligit Adamum originem ducere nullus fidelium dubitaverit. Cui sufficiens
 nos quoque subscribimus, quantum fori nostri competentia permittit.
 Sed, quæ demum erit Monstrorum Causa efficiens? Virtus utique formatrix
 in plerisque primatum tenet; hæc enim semini non modo inhæret, sed etiam
 mirabili planè artificio, quoad licet per impedimenta, quæ sapientis aberrare
 faciunt, Embryonem effingit, & delineat, cui, si accellerit primarum qua-
 litatum major quidam excessus & Asymmetria, quid mirum, si à recta consue-
 taque secundum speciem dispositione deviat natura; uti deriavit teste Mela,
 in nonnullis Carmaniae populis, qui toto corpore hirsuti præter capita, sine
 veste ac fruge in montibus errant. Quibus accidunt, quos retulit ex per-
 vetustis scriptoribus Alii Gell. l. 9. c. 4. qui toto corpore hirti, non villosi,
 sed avium more plumati videbantur. Nequid dicam de Infantibus, qui ex
 utero materno prodierunt barbati, dentati, quadrupedes, cornuti, ex uno
 defectu debitæ qualitatum temperaturæ. Quid potro præstet Astrorum in-
 fluxus, totiusque sphæræ constitutio, testantur integræ regiones, quæ regu-
 lari quadam disformitate ordinem communem & leges naturæ prætergredi-
 untur. Cerè D. Aug. serm. 37. ad Fratres in Eremo scribit: Ad Aethiopiam
 perrexi, ut eis Sanctum Christi Evangelium predicarem, & vidimus ibi multos
 homines ac mulieres, capita non habentes, sed oculos grossos, fixos in pectore. In In-
 dia ferunt populos nati sciopedes, sive umbripides, qui uno instructi pede,
 sed tam latè, ut ejus umbra contra solis æstus se defendant. Hippopodes,
 seu homines equinis pedibus, in Insulis Oonis Maris septentrionalis progeni-
 atos plurimorum testimonio improbatum; quæ monstra, nisi cælorum cli-
 mata speciali influentia fœcundarent, tam copiosa non forent. Omnium
 postrema loco, sed non efficacia venit vis Imaginativa, quæ, quam potens
 sit in monstris procreandis, loquuntur non tantum omnium sæculorum
 partus mirabiles, sed ipsa etiam scriptura sacra adstipulatur: Nam colores Vir-
 garum, quas varianit Jacob, affiendo transferunt in animas pecorum Matrum,
 atque inde rursus, eadem affectione apparuerunt in corporibus filiorum; ut istafu-
 sius exaggerat S. Aug. l. 5. adversus Julianum c. 9. Galenus affirmat de Rege
 quopiam, qui, cum de Aethiopie crebra misceret colloquia, Aethiopem ge-
 nuit. Marcus Damazenus testis est, in agri Pisani oppido, cui nomen Petra
 Sancta, scemellam fuisse progenitam, instar camelii Pilosam, quod Mater
 imaginem S. Joannis Baptista, hirsuta veste circumdati, crebrius intuetetur.
 Neque hoc portenti genus humano tantum generi, sed ipsis etiam brutis
 animalibus commune est. Omnium instar sit illud Avicenna l. I. de ani-
 mal. exemplum. Quod gallina ovis incubans à prætervolante Milvo de-
 territa, tantam Phantasiaz commotionem senserit, ut pullos excluserit om-

nes milvino capite. Sed unde, aut qualis sit illa Phantasia, ut vocant, contagio, ænigma est, quod, quo magis explicatur, tanto magis implicatur. Sunt, qui dicunt, ex cerebro per tubulos nervorum, qui velut fasciculi per totum corpus distenduntur, spiritus defterri animales, cum iisdem omnino impressionibus, quas Phantasia in cerebro ab objectis extraneis accepit; quo fit, ut haec impressiones delatae per filamenta nervea usque ad foetum, similes eidem communicent imagines & affectiones. Speciosius & verbosus nihil dici potest. Ego in obscuris adeo & reconditis naturæ miraculis sentio cum Pliniol. 37. histor. c. 4. Non esse quarendam in omni parte naturæ rationem, sed voluntatem. Itaque Harpoeratæ imitari malo, quam blateronem, Tandem causa finalis ex intentione agentis creati nulla est; Quod autem Deus Causa omnium prima monstra quandoque voluerit esse signa prognostica, fide historica satis notum est. Unde etiam recte nonnemo dixit: *Monstra nomen suum ex eo mutari, quod futurum aliquid altioris consilii ordine demonstrare.* Faxit Deus, malorum Averruncator sapientissimus, ne funesta adeo præsagia nostris nascantur in oris.

EX AEROGRAPHIA Experimentum I.

DE

Vi Elastica & Gravitate Aëris.

VIX ullum aliud elementum est tam officiosum, & ad omnes naturæ motus tam præsens & subsidiarium, ac Aër, commune illud naturæ armamentarium, ut compellatur à Satyrico apud Rayn. rebus enim omnibus deservit. *Hominibus & iumentis spatium est reciprocandi spiritus,* inquit, Tertullianus, Avicula volanti sustentaculum, naturæ laborantis solacium, cali terræque commune Emporium, ubi sua exercent commercia, inde per influxus, hic per efflavia. Exigit autem ordo naturalis Providentia, ut quo plura sunt munia, qua natura ita jubente necessario obeunda sunt, proprietates etiam congruas Auctor naturæ suppeditarit. Omnem verò suppelle. Etiam aërearum proprietatum expedire, non est hujus loci. Duas potissimum ingeniosior hujus sæculi Philosophia in præstantissimis, Academiis excoluit, virtutem nimirum elasticam & gravitatem easque tot experimentis, ne dicam rationibus, firmavit, ut animus, non præoccupatus zelo Antiquitatis, dissentire nequeat, nisi tricandi gratia. Ante omnia vero ceu postu-

latum assumo particulas æreas figura constare irregulari , & ad elaterium
 magis opportuna , cuius pori rectissimi & omnium maximè ordinati (qua-
 les tribuit Aristoteles cuicunque corpori Diaphano in l. 8. problem. sect. 13.)
 aut repleti sunt substantia ætherea aut vaporibus & exhalationibus globi ter-
 rauei . Neque enim inferior atmosphæra , quæ terræ superficiem ambit ,
 adeo defecata est , ut nullas admittat , particulas heterogeneas . Nunc ex du-
 bus alteram aggredior , nimirum Aëris gravitatem , quam jure domicilii , quod
 Aristoteles illi liberaliter concesserat , posteri spoliarunt . Audite si lubet Pe-
 ripati Dictatorem l. 4. de cælo tex. 30 In sua regione omnia gravitatem habent ,
 præter ignem ; etiam Aer . Sed experimentis hic agimus non ratione aut au-
 thoritate . Quid igitur , nunquid pauper Aristoteles profundis duntaxat
 speculationibus intentus , sola excogitavit sophismata , experientiam omnem
 proscriptis ? Hæc quisquis iactat , Aristoteli suo litem intentat , quem aut
 non legit , aut falsi poenam sibi consiscit . Verba enim illius loco cit . hæc
 sunt : *signum hujus (gravitatem intelligit) est , quia ponderat plus uer inflatus*
quam vacuus . Hæc pluribus illustravit insignis ætatis nostræ Philosophus
 STURMIUS in l. de Clepsyd. appende , inquit , ne res evadat palpabilior tres si-
 mul aut quatuor vesicas bovinas , aëre refertas ad lancem bilancis (quali uimur
 in exquirendo aereorum pondere) alterique lanci arenam Tenuiorem affunde ,
 donec redierit cum priore ad equilibrium . Mox apertis , aut ruptis vesicis om-
 nem aërem expime , atque oculis tandem tuis crede , qui sensibile pondus per ela-
 psum aërem vesicis decessisse videbunt . Ecce , quam bene convenient Aristoteles & Sturmius . Uterque tibi inclamat : *si non vis nobis credere , credere tibi .*
 Experientiam consule , oculos testes adlibe , & quam consona sint hæc ve-
 ritati , non tantum videbis , sed etiam palpabis . Videbatur ante aliquot sæ-
 cula aëris positiva levitas jam transiisse in rem judicatam ; ita enim sentire
 non tam suadebat , quam cogebat longa series eruditioris Antiquitatis . Sed
 quid mirum ; binis tantum oculis omnia speculabantur , conjectura scilicet
 & Authoritate . Donec ætas posteriorum tanto occulatior , quanto pluribus
 nititur experimentis , si non vetera , certè probabiliora orbi literato per-
 suaderet . His adjicio novum expertissimi Viri , jam memorati testimonium :
 Anno 1674. mense maio se contulit ad pedem montis Mauritiani , binis in-
 structus vesicis , quarum altera inflata erat ad Medietatem , altera prope
 summum , ut digito compressa ejus relinqueret vestigium . Deinceps lento
 pede ad fastigium montis pertexit ; cumque vix medium iter confecisset ,
 jam senserat vesicam amplius inflatam , nec aliquod digitum vestigium admit-
 tere . In ipso vero montis cacumine adeo distendebatur , ut compressa mox
 resiliat ; altera itidem remissior plicas , & rugas non quidem omnes , ple-
 rasque

rasque tamen quantum satis erat ad fidem Philosopho faciendam in convexitatem proprius explicabat : Huic phænomeno si ultro subscribis, aëris gravitatem confiteris. Quæ enim alia causa extensionis hujus inobservatae poterit assignari, nisi quod minor aëris pressio sit in excellis, quam humilibus locis. Ad oculum idem tibi exhibet Machina Boyliana, aut si malis, Magdeburgica, in qua videbis aëre exantlato vesiculam remissius inflatam subito intumescere, & fragore magno distrumpi : Nimurum aër inclusus pondere ambientis liberatus nativam suam recuperat extensionem ; quod virtutis elasticæ beneficium est speciale. Hæc enim altera est aëris proprietas, quæ gravitatem pone sequitur, & efficit, ut aër à figura sibi naturaliter debita transfiguratus resiliat, & in pristinum statum suopte impetu restituatur : Cujus analogiam dedit Eminentiss. Cardinalis Ptolomæi, dum ait, consistere veluti in aggregato ex plurimis minimisq; armillis, fibrillis spiralibus, annulis & machinulis, similibus chalybi convoluto, in horologiis portatilibus, quæ tam diu tremunt, subsultant, resonant, donec recuperato statu nativo conquiescant. Quanta vero sit in aëre virtus elastica, infinitus sim, si omnia experimenta afferre presumerem. Ad fidem & oculos eorum provoco, qui in sclopeto pneumatico, remotis levicribus impedimentis glandes plumbeas tanta vehementia explodunt, quanta foret, accenso pulvere nitrato. Hymante cælo quoties experimut vitra aut vasa testacea rimas agere, dum aqua in iis contenta conglaciatur. Si causam inquiris, eam tibi suggesteret virtus aëris elastica. Non enim ita congelatur aqua, ut non etiam partes aëris frigidiores in poros se insinuent, quæ in angustias redactæ & naturali situ ac figura spoliatae conatum suum elasticum versus eam partem efficacius exerunt, quæ minus habet impedimenti ; atq; ita vitrum aut testa rumpitur ut via patet aëri intercluso. Verum de experimentis satis.

CRISIS THEORICA. *De Vacuo.*

Nescio an Natura magis horreat vacuum, an ficticias quorundam de vacuo sententias. Illud enim, si non datur, Naturæ adversatur rationis experti, cuius nullus est horror, nullus metus, haec Phantasiam feriunt, & rationem subvertunt : quod natura rationalis veri studiosa semper formidat & horret. Enimvero recte sentiebat Hispanus ille rigidioris Peripateticator acerrimus Hurdatus de Mendoza, quando ajebat : *Hoc mibi ingenium est ac Natura, ut commentia existimem eorum placita, qui ut apertas rationes*

ratione: & experientias eludant. configurant ad occulta Naturæ Sacraenta, tan-
 quam ad sacram Anchoram, ut inter occulta latibula delitescat veritas. erigantq;
 aras ignoto Deo. Et quid aliud agit scrupulosior Philosophia, dum metum
 inculcat Naturæ omni sensu & ratione destitutæ, nisi ad occulta Naturæ
 Sacraenta configere, atq; aras erigere ignoto Deo, seu verius mentis suæ
 idolo? Fateor equidem sapientissima ordinatione Divina corpora maxima
 velut membra mundana hujus Reipub. ita inter esse conglobata, ut cate-
 nis quasi colligata videantur. Et ista quidem sine vacui metu explicari ne-
 quaquam posse multi clamosa contentione propugnant. Quod enim, in-
 quiunt, salus universi pendeat à mutua partium conjunctione, earumq; in-
 fluxu reciproco, omnibus Philosophorum sectis in confessu est. Atq; ne de-
 hac sua salute tam facile periclitaretur horrorem accepit congenitum mu-
 tuæ separationis, usq; adeo, ut etiam gravia relicta sua inclinatione connat-
 turali, ne quid detrimenti capiat hæc respublica, sua sponte sursum feran-
 tur, & levia deorsum. Quin etiam ea, quæ mutuum alias congressum refu-
 giunt, deposita tantisper antipathia coeant in unum. Atq; ne recentiori-
 bus vel latum unguem cedant, ipsam experientiam in subsidium vocant:
 Videmus enim in antlia, ut vocant aspirante, aquas puteales, embolo ascen-
 dente è vestigio sequi, donec puteus omnino exfugatur. Id vero quomodo
 eveniat, ut aqua satis ponderosa, suam naturam & proprietates exuat? nisi
 Naturæ universi vacuum formidanti obsequatur. Idem plane experientia
 demonstrat in siphonibus recurvis & gnomonicis, quibus attracto aëre eva-
 cuantur integra dolia vini. Nimurum Natura unitatis amans est, gaudet
 membrorum sibi conjunctio, cui quidquid adversatur, detestatur &
 horret. Hinc vinum aut aqua sequitur Naturam contra Naturam, atq; ne
 sit periculum in mora, alieno aëris se retrahentis arbitrio malunt accomo-
 dare, quam boni proprii audire studiosa. Ecce autem, amabo, id facit aqua,
 quæ pondere suo semper deorsum nititur? nisi quod vacui impatiens illud
 ascensu suo impedire conatur. Et hæc quidem maximis olim suffragis ce-
 lebrabantur, quod speciem veritatis minime facitam præferebant. Sed
 ut rectè inquit Aristoteles: quandoq; falsa videntur probabiliora veris; hinc
 iis, quibus vacui metus aut Metaphoricus aut plane fictitious putatur, gravitas
 aëris in explicandis hisce phenomenis longè præponderat. Enimvero, in-
 quiunt hi cum Entio, si aqua in Antlia, aut vinum in Siphone vacuum
 perhorrescit; quo igitur Magistro didicit aërem recessisse, quo sensu cognoscit
 vacuum imminere, nisi ipsa relicta propriis latibus in aëris locum ascen-
 dat? Profecto, inquit Cosentinus: isti de rebus naturalibus, non aliter loquun-
 tur, quam, si illa mentis rationisque participes, ac propriarum functionum con-
 scit

Scia. Causam ergo hujus ascensus violenti hanc esse volunt genuinam, quod aër undiq; incumbens aquam pondere suo deprimat, eámq; per tubum assurgere faciat, quando in antlia aut siphone aër inclusus vel omnino extractus vel ita debilitatus est, ut æquipondio suo aëri extrinsecō nequeat obluctari. Et quia experientia docuit, aërem quandoq; graviorem esse; ut in hyeme, aut circa paludes, hinc altius uno, quam alio loco & tempore aqua ascendit. Vix tamen, ut curiosa longi temporis industria observavit Boyle, altitudinem 33. pedum Anglic. & uncias 6. superabit. Hæ illi. Ego sicut cum postremis in eandem omnino sententiam concedo, ita Primorum adeo improbabilem judico, ut verosimilius existem Naturam non tantum vacuum non formidare, sed etiam exigere, disseminatum scilicet in Spatiolis minutissimis. Est enim veritatis indubitate in corporibus quibuscunq; poros latere copiosissimos & diversissimos, qui licet liberam oculi aciem fugiant, non tamen fugiunt telescopiis armatam, quæ hodie tam artificiose parantur, ut aliam rebus figuram subito induant. Omnes autem poros materiā quantumcunq; subtili replere, est motum afferre corporibus & generationem. Neq; enim generatio fit absq; motu, neq; motus absq; cessione loci; Quod quâ fiat, ubi plena sunt omnia, quis dividabit? Definit equidem Cartesius more suo materiam subtilem instar li- quoris cuiusdam continuï spatia illa omnia replere, quæ à corporibus crassioribus non occupantur. Sed unde probat materiam suam subtilem expertem esse pororum? ubi enim particulae sunt infinitæ, aliæ rotundæ, aliæ cubicæ, pyramidales, oblongæ &c. diversissimis motibus agitatæ; illic certe deesse nos possunt plurima interstitia. Ratum igitur nobis est, quod nulla naturæ lex vetet vacuum disseminatum inter particulas corporum minimas retinere, quandoquidem nec ordo universi turbatur, nec mutuus corporum influxus tollitur, nec quidquam phœnomenis derogatur.

Experimentum II.

D E

Generatione Ventorum.

VENTOS globum nostrum terraicum & atmosphærā habitabilem ultro citrōq; permeare, nemo nisi qui sensu caret, inficiabitur. At generationem illorum, quis enarrabit? nisi Deus omniscius, qui non tantum ambulat super pennis ventorum, sed etiam attestante Psalte Regi Ps. 37. in Thesauris suis reconditos tenet. Mihi certè quicquam de hoc naturæ arcano audacter definire, in expedito non est. Audio enim D. Aug. sciolis illis,

illis, qui omnia sibi patere credunt, inclamantem: *Quia ventus flat, sensis;
qua causa flat vel de quo Thesauro sit erutus, nescis. sed & ipsum Divini Verbi
oraculum hanc nobis ignorantiam inculcat Joan. 3. Spiritus (sive ventus)
spirat ubi vult, & vocem ejus audis, at nescis unde veniat, aut quo vadat. Et
verò ex quo tripode de veritate tam recondita certior fias? si oculos testes
appellas, vident nihil; si Physicorum rogas sententiam, quid obtinebis, nisi
monstrosarum opinionum Cacoëthes. Præsto tibi erit Kepplerus cum suo
animali, cuius pulmones ventos exspirent. Aderit Vitruvius Architectus,
cui ventus est aëris fluentis unda, cum incerta motus redundantia, qui na-
seatur tunc, quando fervor offendit humorem. Sed quid frustra plures enu-
mero; quisq; enim singit pro arbitratu suo, & principiis jam præsumptis
acommodat. Hoc unum igitur certum est, quod in re tam abscondita nihil
certi statui possit. Fidem probabilem faciunt aliquorum experimenta, quæ
dubium & animi incertum utcunq; valeant inclinare. P. Gaspar Schottus
in rebus naturalibus eruditè curiosus l. i. Meteor. ventorum Materiam (quæ
in omni generatione primas sibi vendicat) vult esse non unicam, sed ali-
quando aërem agitatione commotum, ut censuit Hippocrates, aliquando vapores ex-
halationibus permixtos, ut statuunt Conimbricenses. Quæcunq; demum sit,
suis poterit experimentis illustrari, saltem analogicis. Et primo quidem illa
Conimbricensium sui quandam analogiam exhibet in Æolipila, quam in-
venit Vitruvius, uxit Kircherus, suis commentariis illastravit Polinierus.
Res ita se habet: Fiat globus, aut si malis vas aliquod oblongum, justæ ca-
pacitatis, ex ære, huic ex parte una promineat tubulus quidam angustior,
& apertus, cæterà bene obturetur. Hæc machinula ex media circiter parte
aquis repleatur; Et ubi ad ignem fuerit collocata, calor exiguae ejusdem
particulas, terreas nimirum, aqueas & aëreas usq; adeo exagitabit, ut in gy-
ros primum agantur, tum variis modis inter se collisa & mixta per Æolipi-
la tubulum, ubi resistentia minor est, magno impetu erumpant vicinumq;
aërem violentè propellant. Ecce tibi in analogia, quæ facili negotio intelli-
gas ventorum naturalium generationem. Finxit olim poetica licentia ingen-
tem ventorum exercitum Æolo Regi subesse, quos facta potestate in terras
emitteret, atq; iterum, ubi salus reipubl. postularet in Aeoliam ad antra sua
revocaret. Et quid aliud hæc fabula innuebat; nisi sub cortice nucleus,
sub ænigmate veritatem. Nemo hactenus in dubium vocavit, Naturam va-
stissima quædam antra in terra sinu elaborasse, in quibus aquæ, tum ex oce-
ano ascendent, tum ex pluviosis & nivibus deciduaæ, quasi in amplissimis la-
cubus & stagnis colligerentur. Et quid prohibet quo minus calor subter-
raneus*

raneis aquas in montium eryptis longè diffusas in vāpores copiosos exten-
uet, qui postquam sociatis viribus cum terreis & igneis exhalationibus ad
ostium montis pervenerint, carceris impatientes, quā data porta ruant, con-
citato in gyros, turbines, & furias aēre exteriore. Et ita evenire Novioduni
in Gallia, improbabile non est; ubi ventus ē specu montis viciniam inqui-
etat tam molestus & vehemens, ut tandem Accolæ communī consilio fauces
muro obstruxerint; sed suo malo: hoc enim obice facile disjecto violento
magis impetu cœpit debacchari. Idem experientia & damno suo testantur
regiones plurimæ; quas omnipotens Dei manus montibus vallavit; in quibus
prater terræ motus vehementes, exhalationes humido-siccæ per plures dies
& menses ferociter tumultuantur. Quæ si ita sint nemo deinceps mirabi-
tur, quod ineunte vere dum nives in alpibus, & montium convallisibus li-
quefiant, ventorum rabies sit insolentior; ita enim via patet libera non mo-
dò vaporibus aqueis, sed etiam exhalationibus terreis, quæ frigus ante solu-
tionem constricta tenebat. Altera, Aristotelis nimirum in generatione ven-
torum Materia, esto universalis non sit, suis tamen quandoq; experimentis
non caret. Ab igne quid aliud spores, nisi exhalationes calidas & siccas: Et
si experientiam consulis, invenies in iis maxime locis ventos dominari, ubi
ignes abundant subterranei. Quare etiam à Lucretio l. 6. rerum natur. ori-
ficia Montis Aētæ, quibus ignes spuit & cineres, *venigeni crateres* nominan-
tur. Quin etiam obviis & quotidianis docemur exemplis, quod suspensa ad
focum pluma licet grandiuscula sit, agitatione non interrupta in omnem par-
tem moveatur, certo plane indicio, ventos ab igne concitari. Sed luculentius
& ad fidem faciendam efficacius est illud Verulamii phœnomenon, quod
tentavit in Anglia: Cameram sibi delegit undiq; obscuram & clausam, adeo
ut aëri forinsecus circumstanti nullus pateret accessus. Tum carbones ac-
cessos continuo sufflaminavit, donec aërem inclusum satis rarefactum pu-
taret. Post hæc jussit parietem exiguo foramine adaptiri, & cum omnium
stupore aëris rarefactus præcipiti motu ebyvia quæq; impedimenta dissipavit.
Deniq; quod aëris agitatio ventum quandoq; cieat, nemo melius novit, quam
Brontes & steropes in officinis suis Vulcaniis: Hi enim in singula pene mo-
menta experiuntur ventum generari ex follibus agitatis, in quibus aëris con-
densatus sensim rarefit, & spatium occupat latè diffusum, quod sine impetu
& trusione aëris vicini fieri nequit. Et quid aliud erat, quam vehemens aë-
ris commotio, novum illud Italiae miraculum, cuius meminit Hier. Megiferus
c. 4. Descrip. Venet. Extruxerat sibi Franciscus Tridenteus, vir in Italiae No-
bilitatis classe primarius, hortum deliciarum Paduam inter & Vincentiam,
cuius cælatis foribus hæc inscriptio supereminebat ex Virg. l. 1. Aeneid. v. 145.

Æolus hic clauso ventorum carcere regnat.

Prope enim aderat specus ingens, in quam velut alter Æolus aërem congebat, & pro arbitrio suo, dum astivi calores atderent insolentius, facta ventis exeundi potestate totam domum & omnes habitantes in ea refrigerabat. Tantum valet & praefat aëris commotio. Unde rectè non nemo advertit, miram illi effectis naturæ latere periclosin : *Sydera*, inquit, *sol & Luna* efficiunt maris astum ; hujus impetu per occultos fundi marini meatus protruduntur aquæ in terræ viscera, hæ vento excitant ignem subterraneum, advecta nova alimonia ; ignis subterraneus follibus quasi exagitatus per meatus mineralibus siccis fœtos transit & ingentem secum halituum copiam abstrahit, halitus partim fundo maris, partim per meatus terrestres protrusi aërem commovent & ventos efficiunt, venti exigitant mare, mare ignes &c. Ecce circulationem. Præcipuum tamen omnibus istis addit pondus inclinationem & motum Sol in Dodecatemorio constitutus, ubi jam hanc, jam illam Oceani patem radiis suis perpendicularibus ferit. Unde consecutaneum est mare extenuari, ingentem vaporum copiam halitibus mixtam in aërem educi, atq; aërem simul in anteriori Solis semita cum vehementia protrudi. Hinc solis maximè orientis ventos præcursores quotidie experimur. Fato tamen hoc à me non statui apodicticè sed divinatoriè Principiis tamen Philosophiæ experimentalis & sanæ dissona nequaquam sunt.

CRISIS THEORICA.

D E

Qualitatibus Ventorum.

NEmo à exspectet, contra brevitatis institutum totam qualitatum farraginem, quas ventorum familia longo syrmate post se trahit; Insigniores producam, quæ ab experientia & rationum momentis omnium sæculorum suffragium tulerunt. Et inter eas quidem, nisi me fallit torrens Auctorum eminent ex primis qualitatibus Elementorum, frigus & calor, quæ tamen non usque adeo radicatae sunt in natura ventorum, ut non etiam tractu temporis & locorum nunc has nunc alias induant & exuant. Theophrastum hac super te differentem audio l. de ventis: *Quod venti eluviem inferant aut serenitatem, quandisque mare agitant, aut pacatum reddant; quod frequentes sint, coniunxi, aquabiles, calidi, frigidí; præterea, quod alii dum spirare coperint, alii quando jam desinunt, maiores sint, rotum hoc locorum intervalllo tribuendum est.* Cui suffragantur diversissimarum regionum Incolæ; Ita Europæis Boreas.

reas est Serenus, Auster vero pluvius & nubilus. Africanis ex opposito ille
 nubilus hic serenus. Americanis, ut Acosta refert inducit austor tempesta-
 tem perfrigidam, nobis veniunt exspectati, *medio tempore signe noti* Star.
 Theb, I. v. 161. Quin adeo venti orientales in nostra etiam Europa non
 iisdem ubique qualitatibus se in regiones effundunt. Plerisque enim subso-
 lanus calidus venit & siccus eum insigni temperie, in Campania autem nun-
 quam oritur, nisi humidissimus. In Belgio aestate calidissimus est, hyeme
 frigidissimus absque omni temperie. Sed cur ex montium cavernis, aut ex
 remotissimis Mundi partibus venti spirant modo calore, modo frigore satis
 molesto graves? Nimirum, quod fontibus permeatus subterraneos deductis
 familiare est, imbibere eorum corporum qualitates, quorum poris se insi-
 nuant, aut superficiem lambunt; idem omnino ventis evenire necesse est,
 ut aliquas affectiones hauriant vel e locis quæ transeunt, vel à corporibus
 circumstatis, quæ pervadunt. Norunt rerum nauticarum periti, quam sit
 alia longè ventorum temperies aut intemperies, dum iter suum urgent po-
 lam versus, & alia dum zonam torridam contingunt. Et quis sibi frigus
 pollicetur a ventis, quibus materiam subministrat halitum in terræ finu-
 vel in ipso aëre subita effervescentia? Quis calorem exspectet à ventis Po-
 laribus, qui per montes errant nivibus obsitos? Mirantur acta Anglicana
 mensis Martii 1666 quod in littore Coronandelii ab hora octava matutina
 usque ad tam vespertinam venti spirare soleant tam astrosi, ut incolæ calo-
 ris impatiens, more ferarum antra subeant & cryptas subterraneas. Mi-
 ratur M. Polus ventos in Insula Perfidis Oromuzio adeo ferventes, ut ob-
 vios quoque peregrinos immodico calore interimant, atque occisorum car-
 nes (quod aquæ ferventi proprium est) ab ossibus disjungant, incolas vero
 aquis ore tenuis se immergere cogant. Sed mirari desinit, qui causam in-
 quirit. Zona imprimis torrida his quidem vicina, illis habitata, ventos ac-
 cedit, terra arenosa calorem foveat, rupes & faxa cum minera sulphurea
 excitant effervescentiam talem, quæ humano corpori intolerabilis sit. Quod
 ex cavernis montium subterraneis venti predeant, aut tepidi, aut caloriferi,
 nemo Peripateticorum, quibus materia ventorum est exhalatio secca & calida,
 adeo mirabitur: Norunt enim in montium Gazophylaciis non tantum pretio-
 sa recondi cimelia, aurum scilicet, & id genus alia metallæ, ac mineralia,
 verum etiam exhalationum copiam longè maximam, quæ vel à solis ardore,
 intima terræ vitcera pervadente, vel ab ignibus subterraneis motu pertur-
 bato tam diu agitantur, donec incalescant, & per terrarum angusta spatia
 viam sibi aperiant. At unde erit frigus tam intensum? scimus, quod in
 altissimo Agri Sorani monte tanta sit ventorum frigidorum severitas, ut abs-

que vitæ discrimine nemo in montem erecto corpore eluctari possit. De Monte Aëlio , qui non procul Interamna Italiæ oppido ex grandi lapide consurgit , & ad sesqui milliare Germanicum ex ortu versus occasum porrigitur , prodigiosum est , ad pedem illius multa patere ostia , rimas , atque fissuras , quæ æstivo sole ventos exspirant frigidiusculos , quos accolæ in dispositos canales cogunt , & eorum beneficio sua æstivaria commodissimè refrigerant . Causam verò frigiditatis suæ partim communem habent cum fontibus , de quibus supra , partim etiam oritur ex aëris inclusi vehementissima agitatione , quam labentes in montibus fluminum catarractæ suo pondere efficiunt . Quod , quia compertum habemus in Velino fluvio , qui per inaccessos montes & saxa tam horrendo murmure in subjectam vallem profundissimam se præcipitat , ut per 5 Milliaria aëre circumquaque frigidissimo percipiatur ; nil prohibet divinare , idem quoque evenire in occultis terræ meatibus , ut aëre more inusitato concitatus , & vaporibus aqueis imbutus frigidus erumpat in apertam diem . Est & alia ventorum qualitas , inquit F. Bayle , nimis vehementia , quam tristi multorum experientia sæpe sa- pius comprobata accepimus . Parum est , quod canit Lucretius :

*Interdum rapido percurrentes turbine campos,
Arboribus magnis sternit , montesque supremos
Sylvifragis vexat flagris.*

Ipsi Arabes narrant , in suis desertis turbines quando suboriri tam concitatos , qui arenosa tempestate integras Caravanas 600. & amplius hominum suffocant atque sepeliunt ; nequid dicam de vento illo vehementi , qui irruit à regione deserti , & concussit 4. angulos domus qua corruiens opprescit liberos omnes Job. 1. Oculatus testis est Conradus Argentinus eorum , qua contigerunt Moguntiæ Imperante HENRICO IV. Casare : Ventus enim invaluit adeo violentus ut amplissimum Ecclesiæ (nomen non exprimitur) pinaculum de repente convellet , ingentes trabes , quales in torcularibus reperire est , querinas & Abietinas non modo in Rhenum dejiceret , sed ultra ad mille passus prope Oppidum Hochemium , velut aëre volitantes deponeret . Mirum itaque nemini videri debet , quòd Olaus ait , à Circio vento hominem Cataphractum abripi , equitantes prosterni , molentina cum tota suppellestili , lignea , lapidea , ipsaque adeo familia procul asportari , naves in sublime tolli , domos ex oppidis & pagis in agros translocari . Causam horum & radicem ecce tibi in compendio : Pyrophilacia globi terrauei , vel à sole in certo situ Zodiaci , vel ab æstu maris ac nivofis montium Lunæ inundationibus concitata per abditos meatus exspirant exhalationes vaporosæ , quæ salnitrosis mineralibus fœtæ , jamque effervescentes

ad usque frigidam aëris Regionem eluctantur. Ubi novorum halituum accessu auctæ altius enituntur, conatu nil profuturo. A frigore enim primum repercutta, pugnam instaurant & assultum identidem renovant, sed irrito plerumque labore. Atque hæc repulsa, quò magis iteratur, eò fortius aër subiectus commovetur & strages edit tam funestas. Hæc nostra est Theoria; tu eam boni cōsule, donec melius erudiaris.

Experimentum III.

D E

Undulatione Aëris, præsertim sonora.

AFurentibus Euris ad lenis auræ sibilum, à ventorum procelloso impletu ad placidam aëris undulationem digredior. Ità enim placuit moderatis Philosophis compellare illam aëris modificationem, quam Aristoteles l. 2, de anima vocat commotionem & tremorem. Nomenclationi tam inusitatæ ansam dedit analogia corporum liquidorum, qualia sunt aër & aqua; ille quidem solo tactu, hac infuper visu perceptibilis. Itaque cum experientia docuisset aquas ex injecto lapillo elevari instar protuberantiae circulares, quam undulationem dicimus, quod undulæ circulares priores complectantur posteriores; his non absimiles esse volebant lenes illas aëris vibrationes, quæ à collisione corporum aut aliunde orirentur. Hoc enim virtutis elasticæ in aëre beneficium est, ut post ictum se illico restituat, itaque vicinum comprimat in amplissima spatha, per quæ illi tremores & aëris vibrationes velocissime propagantur. Nolo equidem hic item intendere iis, qui cum Themistio tam soni generatio nem his undulationibus confectam volunt, neque mihi voluppe est multis ex peripato rationibus decertare pro qualitate soni in aëre recepta, quam suo loco satis vindicavimus. Undulations autem & frequentes & sonoras in aëre quandóque excitari experimentis congruis demonstrare, nostri instituti est. Et primò quidem tremulas aëris vibrationes plurimorum observationes reddunt omnino indubitatas. Unus Dighæus l. de na. corp. c. 28. n. 3. testis locuples est, quod dum navalium prælio multis milliaribus diffito tormenta exploderentur, vitra mensalia, in navigio, quo vehebatur, continuis & tremulis subsultibus movebantur; fissis etiam fenestræ papyraceis, & ovis, quibus columbae incubabant, confactis. Testis itidem autotrys Borellus prop. 101. hanc nostræ assertiois veritatem mitificè illustravit; sic autem illa in suas retulit tabulas: *Adoram Taurum*.

Tauromenii Sicilia, quando Etna mons eruptionem quandam fecerat, prope Ennam Urbem, 30. Millaria à Tauromenio distantem. Tunc observavi, quod dominus & adficia, quæ directè ex posta erant prospectui ejusdem voraginis, vehementissimè concutiebantur, reliqua vero domus, que conspectu voraginis privabantur, satis lente & leniter tremorem efficiebant. Profecto si hujusmodi tremor à concusione soli Tauromenianis ortum habuisset, omnes domus aque concussa fuissent, & aquali tremore agitata. Igitur necessario à tremore aëris, incusò parietibus dormorum libere percussionses excipientium agitatio illa efficiebatur. Luculentum planè viri testimoniū, cui nihil addi possit, nisi assensus noster, quo fateamur ingenuè crebras aëris undulationes satis supérque demonstrari. Sed nec undulationes sonoræ suis carent experimentis. Si Alexandro ab Alexand. credimus l. 4. dier Gen. c. 7. inconditi exercituum clamores aërem tremorem molesto & insolenti quandóque concusserunt, ut aves in terram prolaberentur. Fidem etiam meretur, quod Thomas W illisi authoritate, quæ Londini maxima erat, corroborat. Narravit is Danieli Morhoffio, in ædibus musicis sibi vicinis aliquoties collapsum fuisse pavimentum, idque propter sonoras aëris undulationes. Scio, subjungit Morhoffius in Ep. ad Dan. Majorem, alicubi in ade sacra fornicem angustiorem cui substrata erant organa musica, una, cum iis collapsum ob multiplicem soni percussione. Ita illi non aliena fide certi, sed propria docti experientia, aërem sonorum suavi violentia ita alterari & per invisibiles undulationes modificari, ut in poros corporum se insinuans effectus producat tam admirabiles. Quibus etiam meritò accenseri debet, quod suis ipse oculis inspexit magnus Hetruriæ Dux FERDIN ANDUS II. cum apud Batavos hospitaretur. Erat autem Amstelodami Oenopola celebris NICOLAUS PETERUS, qui curiosius suis combibonibus vini distrahendi gratia scyphos vitreos voce rumpi posse palam ostendebat. Hic igitur accitus ad Magnum Hetruriæ Ducem scyphos aliquot vitreos ventricosos & pedibus nodosos, vulgo Römer / qui tamen pintæ mensuram non excederent, produxit; ex quibus eligitur unus à Magno Duce, in quo veritas experimenti cognosceretur. Vitrum accipit Oenopola, explorat ejus tonum, famulis adstantibus tenendum porrigit, os mediae parti admoveat, vocem extollit, ita, ut hæc superaret vitri tonum Diapason. Et ecce illico vitrum consonabat ad stridorem, tremore in ipsas etiam manus tenentis propagato. Nondum tamen abruptit, sed continuo pneumate sonum usque eo produxit, dum vitrum cum strepitu rumperetur. Meminit hujus experimenti Hamelius l. 1. de affect. corp. c. 7. qui, quidem effectum illum prorsus mirabilem aëri verberato universim tribuit; sed perperam: Neque enim id de omni aëre verum est, sed de eo tantum, qui certo tono vi-

trum fecit. Et hæc de Undulationibus aëris satis, & forte plusquam satis iis
à me dieta videbuntur, quibus amicior est litigatio de nomine, quam de ve-
ritate.

CRISIS THEORICA

DE *Vocibus Animalium.*

Fabula est, sed erudita, quod scriptum reliquit Ausonius Ep. 11. de Pi-
ctore, qui *Vocem* suis coloribus adumbrare præsumperat, jamque telam
in regula quadrigata extensam obliniverat, orbiculum lignum, pigmenta,
penicillum, amissum, verbo totum pictoris apparatus in ordinem redigerat;
sed ecce cum graphide instrutus manum alteram applicaret *telæ*, rudi du-
etu iconem delineaturus, altera meditabundo similis frontem suam indigit-
ret, diu attonitus hæsit, incertus quid faceret, aut pingeret. Neque enim
suopte ingenio naturam vocis ad vivum assimilate poterat; cùm nullis un-
quam oculis mortalibus seu immortalibus se visendam exhibuisset. Igitur
sui impatiens & vix non emotæ mentis surgit, abit, redit, sed sterili semper
ingenio. Quem durr Echo Nympha confiparetur, è proxima specu ita af-
fari cœpit.

Vane, quid affectas faciem mibi ponere pictor?

Ignoramus oculis sollicitare, Deam?

AERIS & LINGUÆ cum filia; mater inanis:

Hinc, si vis similem pingere, pinge sonum.

His auditis ipse sibi indignatus Pictor, à cepto destitit. Nunc remoto cor-
tice fabuloso nucleus veritatis investigemus; nimirū, quām verè dixerit.
Ausonius sub personato schemate Nymphæ vocalis, quod Vox sit AERIS
& LINGUÆ Filia. Philosophis iis præsertim, qui Anatomiae peritiores
sunt, indubitatum est, vocis instrumenta hæc esse: Pulmones, Thoracem,
musculos intercollares, arteriam asperam, sive Tracheam, Laryngem,
Epiglottidem, Linguam & dentes. Sunt vero pulmones si Cl. Malpighio
credimus Spongiaz non absimiles, & abundant in aumenis vesiculis non ali-
ter, quam in apum favis inveniuntur Alevoli. Eo autem ordine sitæ sunt,
ut à trachea ad extremam illius membranum aditus ex una pateat in aliam.
Et aërem quidem præter alios humores excipiunt beneficio tracheæ, quæ in-
finitis prope gyris & mæandris per fistulas suas bronchiales, ut vocant to-
tam compagem pervagatur atque in vesiculos desinit. Structura Tracheæ,
quæ divini conditoris Mechanicen plurimum commendat, breviter hæc est:

In anteriore colli parte adjacet Åsophago, instar canalis, qui à faucibus oris, in pulmones descendit, ubi iteratis divisionibus in ramos minutissimos multiplicatur. Ubi faucibus conjungitur, annellis constat cartilagineis, ut possit patere semper, claudi nunquam, ne respiratio intercipiatur. Præter externam tenuem membranam, aliam habet internam, sed crassiorem, & sensus valde delicati; unde continuo ejicit quidquid cum aëre asperius attraxit. In summitate hujus fistula, quæ Larynx vocatur, quinque notantur cartilagines diversimode figuratae, & priores sensim acuuntur in conum, relicta duntaxat supernè rixula quadam exili per quam aër in- & egredi possit. Huic præ soribus adest sibi cartilago, quam lingulam dicimus sive epiglottidem, cuius munus est cibum & potum prohibere ne intracheam delabatur, itemque sonum vocis modisicare. Cum enim Diaphragma propter elaterium fibrarum in seipsum vibratur, & costas adhaerentes margini suo secum abducit & curvat; cavitas thoracis fit necessariò minor, & Pulmones in thorace contenti coarctantur ut folles, atque inde aërem intra vesiculos receptum per arteriam ejiciunt cum impetu, ut impingat ad epiglottidem, quæ, cum instat plectri formata sit, allisa sonat, & pro varia sui allisione, variâ efficit vocis modulationem. Hinc tanta vocum discordia. Verùm de his consule Anatomicos. Nostro instituto satis est ostendisse, quare canis latret, Bos mugiat, Leo rugiat Aquila clangat, gallina glocitet, corvus erocitet &c. Horum enim omnium radix est, quod alia in aliis sit pulmonum, muscularum, tracheæ, Laryngis, Gurgulionis constructio. In homine hæc supra reliquias animantes prærogativa est specialis, quod voces formare possit articulatas, quarum varietas cùm maxima sit, principium eorum distinctivum in lingua residens omnes fatentur. Dum enim vocis modulatio ad sonorum Laryngis plectrum inchoatur, & in amplitudinem palati diffunditur, linguae volubilitas eam aliter atque aliter strangit & modisicat, dentes vero & labra distinctam pronuntiationem distinctione & compressione sua efficiunt. Legitur quidem etiam volucres vocibus articulatis integros verlus recitasse; quod, cum primis admirandum in illo Cardinalis Ascanii Psittaco, quem cælius Rhodig. l. 3. c. 32. à se vistum testatur; hic serie non interrupta fidei symbolum latino idiomate recitavit. Sed hæc artis adminiculo, non naturæ beneficio, quod solis hominibus datum est, evenerunt, luculento tamen omnibus testimonio, quod voces præsertim articulatae illud Ausionii sibi jure vendicent: quædÆRIS & LINGUÆ sint Filia.

E X
PYROTECHNICA.

Experimentum I.

D E

Alimento ignis primigenio.

Ignis, quam levis est naturæ, tam difficilis investigationis, quam subito & delicate afficit sensum, tam ægræ & morosè humanum penetrat ingenium. Cujus indicium satisevidens est ianta opinionum varietas, quæ ignis naturam & affectiones dum illustrare volunt, novis tenebris & difficultatibus obscurant. Aliter enim sentit de igne Cartesius cum magna sequacium appendice, aliter Epicurus, & iterum aliter Chymicorum secta; hoc solo concordes, quod Peripateticis bellum indicant capitale, & cum iis congridantur marте quidem aperto, an etiam satis æquo, adhuc sub judice lis est. Nos cum his pagellis, quibus exprientiæ juravimus belli spectatores quam complices esse malumus, atque illud tantum, quod neutram partem jure offendere possit, in medium adducimus: Nimirum quodnam sit alimentum ignis primigenium. Quanta sit ignis voracitas, usus docet quotidianus, adeo, ut in proverbium abierit, Prov. 30. v. 16. ignis nunquam dicit sufficit. Pabulum igitur habeat necesse est, quod partium desperitarum jacturam continua aliarum successione compenset. Agnovit equidem Laudatissimus Bayle ignem diu foveri non posse sine alimento suo primigenio: *Eius tamen investigatio, inquit, difficillima est, & inventio forte impossibilis humana industrie.* Verum haic è diametro se opponit Emineutiss: Card. PTOLOMÆI in Phys. part. Diss. 2. lect. 2. ita enim ait: *cum viris eruditis consentio ad ignis elementaris accessionem duo semper requiri, veluti alienia primigenia, scilicet sulphur & nitrum, ex quorum immixtione existat ebullitio, effervescentia, & tandem ignis.* Atque ita revera esse, experimenta, quæ plurima adducit, abunde persuadent. Initium facit ab obviis, quæ omnium manibus tractantur. Ecce enim flamma lampadis aut candela accensæ subito opprimitur & evanescit, quando ex omni parte clauditur fortè, quia fumo & fuligine sua suffocatur. Sed urgeo; quidni & ipse fumus ignis sit alimentum? Reponit Bayle: *Ideo flamma officit aer fumo & vaporibus plenus, quia arcet illud, quodcumque est, quod ex aere transire inflamma materiam, & eam expandit.* Ecce, hic Rhodus, hic saltus. Illud vero, quod in flammæ materiam transit, Purpurato Philosopho aliud non est,

quam Particulae nitrosæ, quibus aer abundat, ut multijugi experientia
 compertum est. At, quia sola nitri substantia nil efficit, sulphureas insu-
 per particulas in societatem admittit. Ita praxis docet nitrum nullo vitro
 ustorio accendi, ferro tamen bene ignito, subito inflammari: Nimirum,
 quia ex ferro carenti halitus sulphurei, quos ipse odor manifestat, exspira-
 tant, seque nitro commiscent, & novum igni in poris latenti suggestum
 alimentum. Quid ad hæc Adversarii, qui diversa à nobis semita incedunt?
 experientiam, sensum, ipsamque rerum naturam appello, an aliter res se
 habeat. Celebris est Machina illa Pneumatica, quam Auctore Roberto
 Boyle, Angliæ debemus, in qua obstructo superiori vasis foramine, & in-
 feriori verticillo aperto evacuatæ aer, globo vitro conclusus per cylindrum
 æneum. Hujus igitur, quam tuemur, sententiaz si experimentum desideras
 in hac ipsa machina carbones accensos globo impone, atque aërem extrahe:
 & quid videbis? nisi ignem subito extingui, si meam defuper rogas senten-
 tia, dico, quod cum aëre alimentum subtrahatur primigenium, sine, quo
 ignis conservari nequid. Sed ista explodes, ceu vana ingenii commenta.
 Ades igitur, & novum ejus rei periculum tenta: sit in globo Boyliano, re-
 center ab aëre evacuato pars magna sulphursis: applica Speculum Causti-
 cum; non ardebit. At si modicum aliquid nitri admisceas; ignis erit. Hic
 igitur te ipsum volo arbitrum, an nostra cum experimentis consonet senten-
 tia. Quæ enim alia tam subitanea accensionis causa vel per somnium oc-
 currat, nisi quod duæ illæ substantiaz, quarum neutra seorsim sufficit, inter
 se adunatae, proximum ignis evadant alimentum. Sed & Pyrotechnitas
 appello, an non in omnibus suis pyrobolis primum ingrediens sit sulphur
 & nitrum? Artificium certè pulveris pyrii in compendio tale invenio: Ni-
 mirum, Sal nitrum, sulphur, Carbones, quæ minutissime contusa in secer-
 nculo secernuntur, madefiunt, commiscentur, siccantur. Ecce primi-
 genium ignis alimentum, Sulphur & Nitrum. Insignis arcanorum Naturæ
 Mystæ J. B. Porta mixturam excogitavit, quæ sub aqua ardeat, eidemque
 materiam primam non aliam statuit, quas binas illas substantias memora-
 tas; res ita se habet: sumitur justa portio pulveris pyrii bombardilis, cui ad-
 jicitur tertia pars Colophonæ, olei olivarum 4ta & 6ta sulphuris. Hac
 bene siccata, stramentis & pannis lineis obvolvuntur, atque funiculis, quam
 fieri potest arcissime constringuntur: mox globus ita dispositus in feren-
 tempicem immersitur, iterumque siccatur; atque ne humiditas aquæ facile
 penetrare possit novis munitur stramentis & funiculis, quæ denuo pice il-
 luntur. His rite peractis, parvo foramini, quod præparandum erit,
 ignis imimitur, atque post brevem aliquam moram in aquam injicitur,
 ubi

ubi jucundissimo præsentium spectaculo, nunc fundum petit, nunc superficiem. Quid ad ista repones? nisi ipse tibi blandiaris cum Porta fateberis quod hujus experimenti fundamentum & basis sit pulvis pyrius, hujus vera sulphur & nitrum.

CRISIS THEORICA

DE

Igne perpetuo, sive inextinguibili.

PHysiologi certant & adhuc sub judice lis est, an naturæ Magisterio demonstrati possit Ignis perpetuus & inextinguibilis, cuius alimentum, sive primigenium, sive secundarium nulla ignis edacitate imminui, nedum absu-
mi possit. Certavit cum Magistro Discipulus, cum Kirchero Schottus; Ille in mundo suo subterraneo negativam; Hic in Magia Pyrotechnica affir-
mativam amplexus: Uterq; momentis non levibus. Affirmativam persua-
dent antiquissima monumenta, è eryptis subterraneis eruderata, de quibus
memoria publica proditum est, variis locis ac temporibus in iis inventas fu-
isse lucernas ardentes, continuo multorum sæculorum tractu inextinctas;
Qualis fuerat illa maximi Olybii in agro Patavino juxta Artheste eruta, quam
at hysse supr̄ mille & quingentos annos, tradit Bernard. Scardeo. Tempore
Henrici II. Imperatoris, ferunt, non probul ab urbe Roma juxta Tyberim
inventam fuisse lucernam unâ cum giganteo corpore, quæ nullo flatu aut
liquore desuper affuso extingui poterat, donec easū improviso, in fundo per-
forata, oleum effunderet, quo facta flamma subito evanuit. Et hæc quidem
dicitur fuisse Pallantis Arcadii, à Turno interfecti, atq; adeo arsisset 2000.
& amplius annis. Non igitur, subjungit Schottus, lucerna ardentes eo loco ha-
benda sunt, quo circuli quadratura, cubi duplicatio, mobile perenne, lapis Philoso-
phicus. Atq; ut plausum ferant hujus sententia se statores novis, iusq; passim
receptis sele muniunt experimentis, quibus igni pabulum adstruant indefe-
stibile. Ita enim afferunt in exemplum linum vivum sive Asbestinum, quod
igni non absimitur. Huic simile est Linum quod vocant Cyprium, cui ma-
teriam præbet Lapis Amiantus, qui malleo contusus suis capillamentis Lini
speciem exhibet quod incombustibile esse perhibetur. Ne quid dicam de
Lapide Caristio, ex quo mantilia olim conficiebant, eaq; sordidata in flam-
mas abjiciebant & maculas quā nitidissime emendabant. Videtur hag;
ignis suum habere alimento, unde pergetuò nutritiatur. Accedit, quod de
Trithemio narratur, illum Imperatori Maximiliano I. Lucernam dedicasse in

extinguibilem, quam in suo conclavi Imperator, omnium oculis subductam,
 ceu pretiosissimum pignus asservarit, atq; annis 20. jam elapsis adhuc arden-
 tem invenierit. Alimentum vero hujus ignis diu latuisse, donec Servatius
 Hechelius, qui Trithemio annis 12. ab obsequiis erat, arcum illud Bar-
 tholomaeo Korndo rfferro manifestasset ex ipsis Abbatis manuscriptis, quorum
 tenor hlc fere erat: sulphuris semiuncias octo & tantundem aluminis cal-
 cinati simul contere, & in fistili sublimatorio desuper bene lutata & obtu-
 rata ad ignem expone, ut partes subtiliores sulphuris supra alumen eleven-
 tur, idq; horis circiter octo confectum habebis. Tum Crystallini Borasii
 semiuncias quinque minutim contunde, atque in vitro plano priorem
 illam tritutam cum Borasio commisce, spiritum vini præstantissimi affunde,
 quem deinceps in cinere sensim extractum, in oleosum transire videbis. Tum
 novum affunde spiritum, atq; iterum extrahe, ut paulo ante factitatum est.
 His peractis si Massa sulphurea in lamina ænea cindente instar aquæ diffinit,
 nea fumum emitit, nil ultra desiderari potest, secus vero spiritum vini to-
 ties affunde & extrahe, donec præfata se prodant indicia: deinceps forma-
 bis Ellychnium ex asbesto aut alio quocunq; incombustibili atq; in vasa vi-
 treo Venetiano una cum mixtura sulphurea dispones. Tum vasculum ita in-
 structum collocatur in arena fervente, ut 24. horis nunquam cesseat hæc
 massa ebullire. Deinde Ellychnium ita dilutum in lampade vitrea, ut fieri
 assolet, rite dispone, nouamq; portionem sulphuris præparati appone. atq; in
 arena temperate calida tantisper relinque, donec materia sulphurea liquefi-
 at; tum ellychnium accende & ardebit in æternum. Ita fucum suæ opini-
 oni faciunt, qui Ignis perpetui Patroni audire volunt: scilicet, hoc erat an-
 tiquitatis vitium plurima confingere, ut gloriosam apud posteros memoriam
 nundinarentur. Quod in monumentis antiquioribus flamma quandoq; visa
 sit facile concesserim citra omne figmentum Ignis perpetui. Neq; enim in
 Chymicorum Magisterio novum quid est particulas elementares ita permis-
 cere, ut massa prodeat, quæ dum subitaneo aëre afflatur, in flamas erum-
 pat: ita felix Mauretus cum oleum lini ad focum præpararet, illudq; incen-
 dederetur, superinjectis linteis ignem suffocavit, & vasculum ab igne remo-
 vit; cùmq; post aliquam temporis moram rediret, vase jam infrigidato linc-
 tea deponit, & ecce admisso aëre subito erupit flamma atq; oleum recenter
 ardere cœpit. Et quid nî idem eveniat in lucernis illis subterraneis? Ne
 tamen ignem perpetuum omnino impossibilem dicam, facit authoritas
 SCHIANGÆ, viri inter Ægyptios eruditissimi, ita vero scribit: *Fuit au-
 tem in Ægyptio campus, cuius fossa plena picis & liquidi bituminis. Unde Philo-
 sophi vim natura cognoscentes, constituebant canales, quosdam ex hujusmodi locis*
MS. 2

usq; ad cryptas subterraneas, in quibus Lucernam ponebant, qua conjungebatur eum canalibus memoratis. Lucerna verò habebat filum ex lino, quod igne comburi non potest at hoc pacto lucerna semel accensa perpetuo ardebat. ob perpetuum bituminis affluxum, & ob filum lini incompositibile. Ignem hunc perpetuum physico-technicum lubens admitto. Sed pure artificialis non est, quem alii tamen lucubrationes suis experimentis evincere tantopere allaborant.

Experimentum II.

D E

Effectibus ignis solaris reflexi.

Ignis solis substantia quo orbi dederit incendia, suis loquuntur tabulis Poëtæ, dum Phætonis adornant quadrigas, Jeati mentiantur alas, & alia plura comminiscuntur, quibus non obscure indicare volunt æstum solis ferventissimum. Quanquam fabulis opus non sit, ubi loquitur experientia, quæ multis testatur exemplis, æstivo potissimum sole integras sylvas conflagrasse. Ovium tamen maximè experiuntur ii, qui Zonam habitant torridam; hi enim solem habent eodem anno semel iterumq; verticalem & capiti suo rectâ imminentem, atq; adeo radios directos & reflexos qui ferventissimi esse solent, excipere coguntur. Unde etiam antiquiores falsa delusi ignorantia sphæram rectam sive torridam à mortalibus habitatam esse negarunt cum Ovid. I. I. Metam. -- non est habitabilis æstu. Alia longe cordatio est Zonæ ut vocant temperata, sive ea Australis sit, sive Borealis, quam nos habitamus. Utramq; Sol oriens etiam quando extrema signa Cancer & Capricorni salutat, non alter, nisi obliquè irradiat; & quid mirum, quod æstus Solis tanto nobis sit tolerabilius, quanto longius recedimus à linea Solis eccliptica? Rarissima nobis sunt illæ solaris æstus prodigia, quæ Zonam torridam infestant. Ars tamen imitata natuarm, etiam hodie ea excogitavit opera, quibus radios dissipatos docuit colligere, collectos adunare, adunatos motu celerrimo reflectere, & effectus tam prodigiosos exhibere, ut eventus vota spectantium superret. Ea verò sunt sphæræ illæ catoptricæ, quæ à superficie quam habent opacam, & exactissimè politam, *specula* vocantur concava; ab effectu vero singulari & eximio quem præstant, *Caustica* & *Ustoria* appellantur. Quanta autem sit eorum energia, testem habet in Archimede, primo, ut fama est, inventore, Antiquitas. Hic enim Marcello syracusas obsidente, triremes ad tria passuum millia, ut Auctor est Cluverius, ab urbe distantes, suspensis è turri Speculis causticis & beneficio radiorum solarium omnes eremavit, & obdictionem

dolum solvit. Iisdem planè machinulis crudelèni sui carnificinam exercuit Democritus, narrante Gellio l. 10. c. 17. Ut enim infatuatus ille Philosophus, mente jam obcæcatus, omnem etiam videndi illecebram sibi afferret, clypeum, seu verius speculum concavum apprime levigatum contra solis radios constituit, ut aciem oculorum obtunderent, & tenuissimas organi illius tunicas calore reflexo vitaret. Quid Anthemius celebris ille Mechanicus invidia stimulante ausus sit, plura veterum monumenta prodiderunt, habebat ille vicinum hominem turbulentum; & omnium discordiarum incentorem quo ut se liberaret citra omnem vindictæ suspicionem, ædes illius speculo caustico iteratis vicibus incendit, donec aliorum migraret, omnino persuasus Deos sibi minus propitos hanc calamitatem destinasse. Et hæc quidem iis, quibus antiquitas in pretio est, dicta sint satis. Novum experimenti getus, orbi literato produxit Gallia cum Lusatia. Memorat enim le journal des Savans Anno 1666. de Viletto quodam insigni artifice, qui figuram speculi rotundam elaboravit, quod in diametro digitos 30. & paulò amplius exæquavit. Libras ponderis habebat 100. Punctum uestitorum à punto centri pedes circiter tres distabat. Focuſ autem latitudine par erat semiaureo Ludoviceo. Ut primum radios Solis collegerat, manus vel ad unius minutus 2di spatium impune morari non poterat. Effectus porro, quos in objectis sibi corporum particulis produxit, fidem superarent, nisi Experiencia suffragium acceſſisset. Insigniores dabo: lingum viride in ictu oculi inflammavit, minutiam ferri ex lebete resolvit in guttas, ut destillare in terram potuerint spatio minut. 2dorum 40. idem fecit in clavo canthi minutis 30. in frusto cupri minutis 42. Frustum laterculi quadrati ex camera, vitro obduxit & bullavit minut. 45. Nummum xv. solidorum gallicorum perforavit minut. 24. Frustum camenti incrustat minut. 52. Tandem sub finem addunt ephemeredes: Non corpus nullum est, quod hoc igne non consumitur. Eiusdem Lugdunensis artificis speculum aliud deprehendunt acta Societatis Anglicanæ anni 1652. quod prius illud digitis 4. in diametro superabat, quodq; omne genus metalli intra minutum fudit. Taceo illud Capotricum Tavernieri, quod argenteam coronam mox resolvit, noctu vero opposita candela tam impense radiavit ut ducentis passibus remotus literas quascunq; expedite legeret. Ne tamen sola Gallia tanti artificii gloriam sibi vendicet coronidis loco adducam illud in Lusatia fabricatum ex lamina luprea, cuius diameter tres ulnas lipsienses complexus est, & focus à speculo distabat ulnis duabus, quo effectus prioribus multò insigniores edidit: aquam intra vas fictile brevissimo temporis spatio adeo fervefecit, ut ova imposita mox concoqueret; aquam vero ipsam paulò post in metos vapores

pores sublimavit. Laminam ferream & chalybeam in aversa & speculo superficie illico candefecit, & intra 6. horæ minuta tria inussit foramina. Lapidès, lateres, testas ex ollis, multo igne duratis, ossa, glebas exiguo temporis lapsu in variis coloris vitra transformavit. Et quod à sèculis inauditum fuit, Lapidem Asbestum, cuius vis ab igne insuperabilis tot experimentis inclaruit, die 27. Janua. sub meridiem aura cali insignitè frigida, maxima caloris reflexi energia intra 12. minuta horæ ad oculum alteravit, & in vitrum subfulvi coloris, nullo negotio transmutavit hæc illa sunt ignis solaris prodigia, que in Zona nostra, ut ut temperata, ars naturam imitata, eventu fidem superante palam demonstravit.

CRISIS THEORICA.

DE

Causa horum effectuum.

VAS illud admirabile & opus excelsi, quod in meridiano exurit terram fornicem custodit in operibus ardoris Eccles. 43. Igneam esse substantiam, si neget noctua, ut cum Tertulliano loquar, *Aquila ramen confuebitur*. Et quid aliud indicat illa fluctuantis massa continua inquires nisi mare fervens Illustrissimi Planetæ. Neq; illud ignorare potuit, Philosophiaæ nostræ Antelegianus, Aristoteles, qui vel ipsis radiis ex Sole manantibus tribuit, quod fonti sive corpori solari. Dum enim causam inquireret, quare sonus de nocte melius audiatur, ita conclusit: *Est enim aer interdiu densus, ut qui luce radiisq; refertus sit, noctu autem rarius, quod ex eo ignis & radii decellerunt, que corpora sunt.* Ecce quam arctè combinet ignem & radios, quod utraq; ex fonte seu potius mari igneo ad nos usq; deriventur. Hæc igitur *lucida rela dies* (ita Lucretius radios appellat) igne carent solari, suoq; illapsu mundo huic sublunati calorem impertiunt, rebus gignendis, solvendis, alterandis salutarem. Atq; illos quidem effectus Caloris & radiorum solarium, qui frequentiores nobis sunt, & obvii, humanum non admiratur ingenium; In eos vero qui novitatem sapiunt & insolentiam curiosius inquirit. Quid igitur tibi videtur de effectibus illis stupendis, quos radii solares ope speculorum causticorum ediderunt? aliam profecto sui causam non habent, quam modificatam sui reflexionem. Te enim, quisquis Optimus non es, compello: Nunquid tua ipsius confessione, quo virtus causæ minus dispergitur, eo major est efficacia in operando, juxta vulgatam paroemiam: *Vis unita fortior.* Et ita quidem sibi amat, dum stipata radiorum so-

larium multitudine in speculum incidit concavum & exactissimè levigatum.
 Primo enim radiorum reflexionem, ex aphorismis opticorum ultro mihi
 concedi postulo cum P. Grimaldi, qui corpora liquida probat non minus
 reflecti quam fluida, immo quo fluiditas major, eò aptior ad reflexionem, quod
 in aqua cum impetu validiore in parietem projecta patet evidenter, suum
 enim repetit principium, idq; tanto magis, si continuo fluxu particulis an-
 terioribus succedunt à tergo semper alia & alia. Itaq; radiorum densissima
 rapidissima & continua flamma à singulis speculi partibus repercussa in spa-
 tium angustum confluit. & coni figuram induit, cuius fastigium folum nun-
 cupant, seu umbilicum. Vel enim objectum radiosum in linea recta centri spe-
 cularis constituitur? igitur radii per centrum transeuntes sunt speculo per-
 pendiculares & reflectuntur in seipso atq; in ipso centro denuo coadunantur.
 Vel viam tenet obliquam? ac proinde vix unquam reflexio ascendet
 usq; ad quartam partem Diametri, quò enim viciniores polo radii inciden-
 tia, tanto propius absunt à centro speculi, & quò remotiores à polo, tanto
 magis distabunt à centro. Atq; hinc oritur ingens illa difficultas folum spe-
 culi inveniendi, quem alii statuunt in centro alii in 4ta parte diametri &
 deniq; alii 4tam inter & quintam. Hæc tamen difficultas nos minimè mor-
 ratur; nam ubi demum folum inveneris, causam effectuum tam mirabilium
 invenisti. Erit enim ibi virtus radiorum unita longe efficacissima, cui si ac-
 cedat motus particularum rapidissimus, ut una aliam trudat continua suc-
 cessione, quod soli proprium est, miracula crederes non naturæ opera pro-
 creati. Cujus si in sole experiundi vel copia delit vel voluntas, saltem non
 pingeat ad lampadem capere experimentum. Nunquid enim ad flammarum
 Lucernæ, quamlibet ardenter, si tubus vitreus applicetur, continuo lique-
 seet? minimè; & quid erit si per alium tubum consimilem flammarum aspi-
 res, ut in cuspidem acuatur? nimirum videbis prodigium naturæ extem-
 poraneum; Tubus enim prior cuspidi applicatus stictini liquabitur. Tantum
 valet flamma motu impulsivo concitata. Atq; ita etiam reliquorum esse-
 ctuum, quos memoravimus causa in expedito est. Quod enim lignum viri-
 de tam subito conflagret, nascitur ex radiorum flamma compacta & velo-
 cissimè agitata quæ pro subtilitate sua mox se in poros insinuat, humidum
 solvit in vapores particulæ ignæas congregat in eo numero ut tandem pe-
 nitus accendat. Eadem ratione aquam ferrefacit, & in vapores attenuat:
 Particulæ namq; ignæas incredibili copia per aquam sparguntur, novis sem-
 per succenturiatis, quæ ovum injectum facile exsiccant, & particulæ hete-
 rogenæas dissipant. Lapidæ, ossa, asbestum, & id genus alia in vitrum trans-
 format, dum particulæ terreas, & magis opacas in centro coagulat, eas verò

quæ

que poros habent magis directos in superficie congregat, & pellucida reddit. Sed pagina me deficeret, si ad calculum revocarem effectus singulos, quos flamma radiorum exilissima in punto unionis excitat. Habes præmissas; sequelas ex iis deducere, atduum non erit,

Experimentum III.

D E

Igne Lucente, non ardente.

Ultimam denique manum experimentis nostris imponimus, cum nova ignis specie, quæ tanto tractabilior est, quanto minus urit, & luce sua se manifestat magis. Ita enim solemnis tenet Physicorum divisio, qua ignem dividunt in eum, qui radiat & ardet, qui ardet & non radiat, qui radiat tantum sed non ardet. Et primi quidem effectus mirabiles paulò ante spectavimus, & quotidiana docemur experientia, de vera & reali illius existentia. Alterum dari sustinet cum Ocello, Pythagoræ auditore pars major Peripateticorum, sub orbita Lunæ, cœu vero & unico hujus Elementi centro. Tertium denique præter autoritatem Aristotelis, quæ nobis sanctissima est, dum ait l. 1. top. c. 2. *Quod aliud sit specie carbo, & flamma & lux, unusquodque autem eorum sit ignis*, experimentis tam veris quam obviis adstruere nobis incumbit. Et ante omnia quidem Meteorologos in subsidium voco, quorum phænomena commentariis illustrata tanto minus de fide suspecta esse possunt, quo majori omnium consensu celebrantur. Quid igitur illi de igne, ut vocant, Fatuo, vulgo Irrwisch? *Lucet*, inquiunt, & non urit. Et verò, quod luceat oculos testes appello, qui plebi nimrūm credulæ sèpius imposuerunt, his flammis Lucentibus animas defunctorum expiari atque purgari. Perstrinxit etiam hæc lux erratica, non absque terrifica impressione oculos illius, quem ex Fromondo, cuius affinis erat, refert Franc. Reinzer S. J. Redibatis nocte, oppido Vlsetto Harcuriane, aquali inter Leodium & Mosa Trajectum distans. Et ecce medio campo circumvolant tres quatuorve fatua ejusmodi faces. Perterritus abscit se illico in terram; permanent tamen illæ, aut & uno altero passu ab illo distantes, fixa & immobiles circumlacent. Cum diutius terra inhæreret, & invocaret Dei opem, absilunt inde dimidio amplius milliari. Exsurgit tum, quasi liber, videtque transvolasse Mosam: Et ecce duos aut tres passus confecarat, revolant drepente & cingunt ut prius; ibi ipse terror in terram recedere coepit, & pertinaci procubuit tam diu fatigari, donec rursum sine rediu diffugerent. Lucem igitur spargunt ambulonem, quæ pro varia æris agitatione in omnem partem circumfertur. Huic non absimi-

Et est ignis lambens, qui per aërem dispersus unoct hominum & brutorum pilis innoxio tam tamen attactu adhærente solet. Quæ, quidem prodigiosis eventibus annumerat Valerius Maximus, sed Religione superstitiona ductus, quæ sicut facile creditit, ita facile se deceptam sepius inventit. Quod enim Livius Servio Tullio, in cunis jacenti flammatum è capite emicuisse ait; quod idem de L. Martio scribit flammatum concionanti è capite fusam. Quod de Christiano V. Daniæ Principe Th. Bartholinus ex capillis ignis scintillas excussas; de Alcanio Julio, Æneæ Filio Virgil. quod visa sit lambere flamma comas; Nihil supra naturam est. Nam peculiaris hæc ignium quotundam natura, ut ex rara & subtili exhalatione orta, velociori agitatu incendantur & oculos sola luce irritent. Dixi Sola Luce irritare; quod enim calore aut nullo aut debili admodum, qui sub sensum non cadat, hæc flamma instructa sit, novis experimentis compertum habetur. Certe Robertus Elud Oxoniensis Medicus testatur se curiositate illectum aliquando de nocte ignem erraticum fuisse insecurum, tam felici conatu, ut manibus omnino innoxiosis prehenderit. Testatur idem vexillum D. Guilielmi Verdigi Legionis Wallonica Legati, cui flamma insedit ante pugnam Pragensem, Anni 1620. panno serico penitus illaso. Et quis adeo incurius est, ut nunquam observarit exile genus volvrum, quod Hesychio Cantharis, Latinis Cicindela, aut Nitedula, Græcis Μυγολαμπίς, Germanis das Johannes Würmlein appellatur, cuius ignis in extrema parte corporis interdu latet, noctu autem videtur, atque innocentia flamma oculos attrahit, manus vero titillat. Et hinc porro natum est novum illud experimentum, quod refert Felix Maurerus: si enim Caudæ Cicindelis abscissæ in tabula marmorea bene conterantur, atque in vase vitro suspensæ per dies 14. & ultra in summo asserventur, tum in balneo Moriæ aqua subtilior distillata extraheatur. & in globo crystallino recepta noctu in cubiculo suspendatur, lucem diffundet tam copiosam ut characteres legi possint, in summa licet frigoris constantia. Eadem aqua, si atramenti loco characteres fermentur, in tenebris quamlibet spissis legi poterunt charta omnino illibata. Ignem igitur, qui negat dari Lucentem & non ardente, hoc sibi collyrio oculos inungat & videbit.

CRISIS THEORICA.

D E

Impedimento ardoris in his Phænomenis.

Primum ignis, quod à natura sortiri potuit & debuit Patrimonium calor est. Recte enim P. Honoratus Fabri tr. s. l. 2. de Elem. prop. 40. *Alicui lux*

lux & calor in summo insunt, igitur corpori, non enim alteri accidenti ne infinitum procedas. Et quod illud Corpus & non aer, non aqua, non terra; igitur Ignis est, cuius proprietas & Patrimonium est Lux & Calor in summo. Quod dum assero, Crux experimentis è diametro opponere nonnullis videbor. Si enim calor ignis proprietas est, quomodo in ordine & linea Naturæ ignis erit, Lux erit, sine ardore, sine calore quod tamen experimentis evicisse nobis blandimur. Scilicet hallucinatur, quisquis ita ratiocinatur. Aliud enim calor est, & aliud ardor. Calorem qui tollit igni, tollit essentiam, quia tollit proprietatem. Ardorem qui negat, ignis substantiam servat, & nudam connotat alterationem. Cui vel ipse Avicenna nobis non satis amicus suffragatur, dum rationem, cur aliqui ignes radient duntaxat, non ardeant, hanc subiungit, teste Majolo coll. 2. de igne: *Quod aeris addam ego bona illius venia: vel alterus liquoris pellucidi circumambientis humidi & frigidi partes in ipsum ignem propter raritatem suam se insinuant, unde operacionem illius refrigerant per accidens.* Quod & ipse Aristoteles non obscurè indicasse videtur l. 2. de anima c. 23. dum ait: calidum & frigidum nos non sentire, sed excellentia. Compertum namque habemus, quoties status rei physicus mutatur in Metaphysicum, ut loquuntur Scholæ, proprietatum vim energicam sensibilem mirum quantum infringi ac debilitari. Quid enim Aquæ magis proprium est, quam humectare? nihilominus, si in vapores extenuatur, hanc suam humectandi operationem ita debilitatem videt, ut penitus amisere censerit possit. Quid si igitur & ignis salva sua substantia cum proprietatibus, ita rarefieri, latè diffundi, & aliorum corporum particulis commisceri possit, ut impedito tantisper calore, sola sensibilem affectionem imprimat Lucis energia. Quod hyemis tempestate frigidissima, calo maxime sereno, radiorum solarium nulla, aut fere nulla sit efficacia, quot annis experimur. Ubi igitur primum ignis solariis Patrimonium & an suam naturam exuit, & subitanea genesi in aliam longèque diversam se transformavit? Credat hoc Judæus Apella. Experientia enim stat ex adverso, & radiis Dioptarum istoriarum ope collectis suam restituit actionem caloriferam, quam frigoris aliarumque particularum excellentia in actu secundum exire prohibebat. Unde recte concludit Dighbæus: *id, quod antequam diffunditur, ignis est, & quod cum currus & colligitur, ignis est;* rato quoque itineris sui decursu ignis naturam retrouere; Saltē sensu Metaphysico, dum Physico non potest. Quod vel ex ipsis prefatis experimentis luculentum est. Quid enim est ignis fatuus, Lucens & non ardens, nisi exhalatio viscosa pinguis, bene conglutinatis inter se partibus constans, & accensa, quæ in locis humentibus & paludosis ad lacus & ripas fluminum,

ad Cloacas in cæmiteriis, macellis, & locis suppicio reorum destinatis na-
scitur, idque in regionibus potissimum calidioribus, ut est Africa, ubi teste
Fromondo in tanta copia visuntur, ut nocturno tempore campi amplissimi
illis ceu stellulis colluceant. Et quid aliud erat ignis elle erraticus, quem
Robertus Flud manibus captavit, nisi materia viscosa & Lubrica compacta
in modum Spermatis ranarum, subalbida & exiguis ac nigris maculis hinc inde
distincta. Quod idem de igne lambente verissimum est; nam & hæc flamma
generatur ex rara tenuique exhalatione ex sudore animalium præfervidi tem-
peramenti, aliisque viscosis humoribus. Sed hæc regulariuer intellecta ve-
lim: Quod enim Provida Dei Sapientia similibus Phænomenis, absque omni
substantia ignea fatales eventus quandoque præsigiat, quis ausit dubitare?
sed hæc indagare non est nostri fori. P. Schottus Phy. cur. l. 2. c. 5. de Kir-
chero suo refert, quod Anno 1631. Herbisoli ea nocte, qua Gustavus
Adolphus Sueciz Rex prope Lipsiam de Tillio & Cæsarianis victoriam repor-
tavit, evigilans hortum & atrium Collegii luculenta flamma repletum, &
in ea milites acriter decertantes conspexerit; idque semel iterumque rece-
dens, idem omnino semper invenit, donec tertiam spectans evanesceret.
Quod altera die suis Collegiis enarravit velut præsigium magnæ calamita-
tis Collegio imminentis à Suecorum copiis, quod eventus re ipsa probavit.
Ignem hunc fuisse verum, mihi non persuadeo. Quid autem fuerit, fuge
quærere, ne opprimaris à gloria altissimi, cui subest, cum voluerit omnia
posse. Faxit hoc piūm nunaen, ut qui reprobris *Ignis consumens est*, nos
cum Electis ad Societatem admittat illius, qui est *Candor & Lumen aeterna*
Cui sit Laus Honor & Gloria.

F I N I S.



EROTEMATA PHYSICA & CURIOSA.

1. Quae sit causa scintillationis stellarum?
 2. Quare Sol libero oculo videri nequeat?
 3. Quare ex calore Solis caput doleat?
 4. Quo sensu verum sit illud Aristotelis: Motus est causa caloris?
 5. Quare ferrum incandescat, dum Faber malleat?
 6. Quare serra dum secat lignum, calefaciat?
 7. Quare obesi frigus minus sentiant, quam macilenti?
 8. Cur frigus cutem faciat anserina similem?
 9. Cur manus frigida in aquam calidam immissa dolent?
 10. Quomodo frigus aquam conglaciet!
 11. Quis sit proprius locus ignis elementaris?
 12. Quare Pulvis pyrius accensus tantum spatii occupet?
 13. Quare flamma in fundo quandoque videatur esse carulea?
 14. Quid sit famus & cur ascendat sursum?
 15. Quare ignis reaccendatur afflato aeris?
 16. Quare ferrum aeri expositum rubiginem contrahat?
 17. Cur in Tubis Torricellianis attracto Embolo ascendat aqua?
 18. Quare in cucurbitis medicis cutis intumescat?
 19. Quare in antlia attracto embolo ascendat aqua?
 20. An & quomodo omnes fontes ac fluvii ex mari oriuntur?
 21. Quare fontes qui prostiunt ex mari, nullam afferant falsedinem?
 22. An is qui eques iter agit plus via conficiat, quam si pedes ageret?
 23. An qualibet hora sit omnis hora?
 24. Quare semedetractis membranis & cortice in terra non facile germinet
 25. Quare semina prius aqua macerentur, quam terra mandantur?
 26. Cur terra rigata sit fœundior?
 27. Quare terra aratro subigatur?
 28. An detur circulatio sanguinis in animalibus, & suci in plantis?
 29. An sedes facultatis imaginativa sit in glandula pineali?
 30. Quare campana sonus remittit, ut primum illa tangitur?
 31. Quare apes per sonitum colligantur?
 32. Quid sit Echo?
 33. Quae sit virtus productiva sponte nascentium?
- Ad hæc Defendens interrogatus respondebit.

THEOREMATA
EX
PHILOSOPHIA QUADRIPARTITA.

Logica, ut virtus pro objecto concreto habet Intellectum & operationem realem.
2. Ut sciencia, conceptus objectivus, & artificiosa Logicum objectivum 3. De Artes mentis operationes cum reabilitate artificiosa 4. Universale formale nec datur à parte res. 5. Nec manet in actuali predicatione de subjecto singulari. 6. Sed si duntaxat per intellectum formaliter prestantem, & apprehendentem. Substantia est Ens per se existens 8. Accidentia non satis conformiter ad mentem C.C. explicantur à R.R. 9. Relatio concretum sumpta, est fundamentum connotans terminum 10. Abstractum est forma à fundamento realiter modaliter distincta. 11. Nulla proposicio in materia contingenti significat tempus praecisive. 12. Quare nec de vera potest transire in falsam. 13. In eodem intellectu de eodem objecto stare possunt simul actus scientie fidei & opinionis 14. Quin idem actus extrabus motivis. potest esse fidei- & opinativo scientificus. 15. Corpus est principium & radix tam activa, quam passiva, connaturalis & primaria accidentium sensibilium. 16. Ejus principia tam in fieri, quam in factu esse sunt duo: Materia & forma. 16. Illa habet propriam existentiam. 18. Sine ulla tamen forma existere non potest. 19. Hac sive principalis sit, sive partialis; materialis, aut spiritualis, est substantia absoluta. 20. In solas tamen formas materiales suam causalitatem exercet materia. 21. Vtisque unitur unione tanum respectiva. 22. Datur Causa creata efficiens ab intrinseco operativa. 23. Quia, nisi & increata connectitur essentialis cum quolibet effectu possibili. 24. Idem nequit seipsum producere primo vel secundo. 25. Duacausa totales, quia tales, in eundem effectum insinuere non posunt. 26. Infinitum Categoricationem creatum existere non potest, nisi objectivè in mente Dei. 27. Quantitas consistit in exigentia necessaria extensionis impenetrabilis. 28. Continui partes extensas & indivisibiles ut hypothesin defendimus. 29. Simile non agit in simile sensibiliter & physicè. 30. Intensio oritur ex subjecto magis & magis modificato, ea modificatione, quam exigit natura qualitatis. 31. Rarefactio resultat ex tali dilatatione pororum, vi cuius manet eadem sensu physico materia. 32. Mundus ab eterno esse non potuit. 33. Elementa gravitant in locis propriis. 34. In mixtis non dantur sola forma Elementares. 35. In eodem vivente non sunt plures anima simul. 36. Nec successivè. 37. Quia in brutis omnibus sunt, divisibiles in partes homogeneas. 38. Potentiae realiter identificantur cum anima. 39. Anima rationalis est immortalis & spiritualis. 40. Ens est univocum respectu suorum inferiorum. 41. Differentias tamen suas non transcendit. 42. Ens pròprio possibile est terminus concretus denominans intrinsecè. 43. Substantia distinguitur à natura realiter Modaliter. 44. Distinctio realis consistit in ratione alietatis. 45. Distinctiorationis sola datur inter gratias Metaphysicas, querum unus ab alio praescientis potest formaliter. 46. Deus potest demonstrari tam a priori, quam a posteriori. 47. Concurrit ad omnes actus creaturarum absque omnì prædeterminatae physica. 48. Creavit Hominem liberum, tali libertate que consistit essentialiter in indifferentia Voluntatis activa. 49. Et est actu essentialiter intrinsecè. 50. Denique uti rerum omnium, ita & Philosophia nostra Deus est ultimus.